Annus XVI. Mali 1902. N. 5.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

I.

DECRETUM.

Sacra Rituum Congregatio, decreto n.° 3999 diei 5 Augusti 1898, et subsequenti declarationi diei 14 Augusti 1900, de usu linguae slavicae in sacra Liturgia firmiter adhaerens, ad quaedam dubia ex diversis dioecesibus sibi proposita iterum declarare censuit:

I. In Catalogo, iuxta articulum I praefati decreti n.° 3999 praescripto, inscribendas tantum esse illas Ecclesias pro quibus privilegium linguae palaeoslavicae invaluisse et reapse vigere, triginta saltem abhinc annis, documentis et testibus *certo* probari potest; neque sufficere solam huius iuris suppositionem, et, quatenus probatio dubia habeatur, linguam latinam manere in possessione.

Item Ecclesiis privilegiatis non esse adnumerandas illas, in quibus permixtio linguae latinae cum lingua croatica seu moderna in Missae Sacri-

ficio hucusque adhibita est; quia decretum expresse loquitur de sola lingua palaeoslavica. Neque ad ius praefati privilegii probandum satis esse, ut aliquae partes Missae, v. gr. *Gloria*, *Credo* etc. a celebrante intonentur seu cantentur in lingua croatica, dum alia omnia in lingua latina ab eodem recitantur; et ut populus tantum cantet vel recitet preces in lingua vulgari.

Iuxta hanc normam Catalogum rite confectum ad Sacram Rituum Congregationem transmittendum esse.

II. Nomen *Missae privatae*, de qua in articulo IX eiusdem decreti sermo est, non sensu stricte liturgico, sed sensu communiori et latiori accipiendum esse. Ad evitandas enim demonstrationes, et ad removendum scandalum, haec Missa characterem quasi solemnem assumere non debet.

III. Tandem praescripta in articulo XI supradicti decreti circa administrationem Baptismi et matrimonii extendenda esse etiam ad ultima Sacramenta, ita ut in parochiis lingua palaeoslavica privilegiatis ista neutiquam negari possint moribundis, qui eadem recipere velint, iuxta Rituale Romanum latinum.

Item in eodem articulo XI quoad collationem Baptismi vocem *privatim* non esse intelligendam eo sensu, ut iste administretur infantibus, omissis omnibus ritibus et caeremoniis. Illa etenim vox spectat tantum ad modum collationis non publicae, servata semper solemnitate quoad ritus et caeremonias, quos in Baptismo nemini omittere licet, nisi necessitatis causa.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 14 Martii 1902.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praef.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

ROMANA.

Hodiernus Moderator Piae Unionis Primariae Sacratissimi Cordis Iesu, ad Sanctae Mariae de Pace in Alma Urbe constitutae, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia sibi proposita pro opportuna resolutione humiliter exposuit; videlicet:

I. Utrum Indultum de Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu in prima Feria VI cuiusque mensis iuxta decretum Urbis et Orbis, n.° 3712, diei 28 Iunii 1889, valeat etiam pro Ecclesiis ubi unus tantum sacerdos adest, qui Missam conventualem officio convenientem celebrare debet?

II. Utrum praefata Missa votiva celebrari possit diebus festis de praecepto in Ecclesiis ubi unus tantum Sacerdos adest, qui applicare tenetur pro populo?

III. Utrum eadem Missa dici possit in Festo Purificationis B. M. V., cum hoc Festum incidit in supradictam Feriam VI?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque maturo examine perpensis, respondendum censuit:

Ad I. et II. *Negative.*

Ad III. Item *Negative*, attento mysterio, ob quod Festum Purificationis B. M. V. aequiparatur Festo Domini.

Atque ita rescripsit, die 27 Martii 1902.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA. *Praef.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

SANCTI SALVATORIS IN AMERICA.

R.mus D.nus Antonius Adulphus Perez et Aguilar Episcopus S. Salvatoris in America Centrali a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter postulavit, nimirum:

Quum Ecclesiae Cathedralis Dioecesis S. Salvatoris constructa sit ex ligno, etiamsi perpulchre interius exteriusque ornata, quaeritur: Num huiusmodi Ecclesia Cathedralis consecrari possit secundum ritum Pontificalis Romani; et quatenus *affirmative*, num facienda sit aliqua variatio in ritibus et formulis praescriptis pro dicta consecratione perficienda?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit: *Negative* quoad consecrationem, et Ecclesia benedicatur solemniter iuxta Rituale Romanum, si nondum fuerit hoc ritu benedicta. Atque ita rescripsit, die 11 Aprilis 1902.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praef.*

✠ D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

AUGUSTANA.

R. D. Pacificus Garin Parochus loci Sancti Eugendi dioeceseos Augustanae, de consensu R.mi sui Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna declaratione, humillime proposuit; videlicet:

I. In exequiis, antequam cadaver efferatur debetne cani vel tantum recitari Psalmus *De profundis?*

II. In officiis mortuorum extra diem obitus, seu depositionis defuncti, sumi ne debet semper nocturnum, quod feriae occurrenti respondet, sint onera adimplenda fixa vel adventitia?

III. Potestne cani vel saltem recitari submissa voce Responsorium *Libera* in die dominica, quando haec concurrit cum festo duplici 1ae vel 2ae classis?

IV. Quando festum Annuntiationis incidit in hebdomadam maiorem, potestne transferri etiam quoad solemnitatem, ad alium diem?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque rite expensis, rescribendum censuit:

Ad I: *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad II: *Affirmative* iuxta decreta N. **3691**, *de Guatemala*, 22 Iulii 1888, ad III: et N. **3764**, *Lincien.* 6 Februarii 1892, ad V.

Ad III: Detur decretum *Romana — Resolutionis Dubiorum*, 12 Iulii 1892, ad VIII.

Ad IV: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 11 Aprilis 1902.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praef.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

V.

DE ALLELUIA IN FINE QUARUMDAM PRECUM ET VERSUUM.

(Decr. 3137 ad 5 : 3764 ad 10 : 3465).

Quibusdam in locis plures Ecclesiae viri saepe saepius audiuntur conquerentes difformitatem circa *alleluia,* in fine quarumdam precum et versuum paschali tempore. Ex. gr. ad finem Introitus Missae votivae de sacro Corde Iesu addunt nonnulli duplex *alleluia,* et unum in aliis locis, ac si Missa votiva non esset: nonnulli sine *alleluia* recitant. Quidam Eucharistiam administrantes, ante vel post Missam de requie, *alleluia* addunt, seu ad antiphonam *O sacrum convivium,* seu in relativo versu, quidam vero omittunt. Imo in processione infra octavam Corporis Christi visum est alicubi quasi scandalum quoddam oriri, cum ad Benedictiones, quae de more per vias agebantur, aliqui ex clero ad *Panem de caelo, alleluia* addebant, alii vero nequaquam, sed, veluti ex contemptu, una cum populo

Omne delectamentum illico respondebant. Item per octavam Corporis Christi, in communione extra Missam, aliqui addunt, aliqui omittunt *alleluia*, seu ad *O sacrum convivium*, seu ad sequentem versum. Inaudita denique ploratur difformitas cum agitur de versibus *Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix* in fine Litaniarum, *Emitte Spiritum tuum* post hymnum *Veni Creator*, *Benedicamus Patrem et Filium etc.* post cantum hymni *Te Deum:* adeo ut ipse populus, qui adstat, admiratione afficiatur. *Quaeritur:*

1. *Unde origo vocis iubilationis* alleluia, *quinam illius usus in sacris, maxime tempore paschali, in Ecclesia seu Latina seu Graeca?*

2. *Num in Missis, quae suis in locis* alleluia *ferunt, vox ista iubilationis addenda nec ne sit quando, paschali tempore, uti votiva dicitur? Quid peculialiter iudicandum de Missa votiva sacri Iesu Cordis, eodem in tempore, quod* alleluia *pertinet, citatis Decretis inspectis?*

3. *Quid, Rubricis Decretisque perpensis, iudicandum circa* alleluia *in antiphona* O sacrum convivium, *quid circa eamdem vocem addendam ad* Panem de caelo, *seu in communione ministranda, seu post* Tantum ergo, *infra octavam Corporis Christi?*

4. *Quid denique tenendum in praxi super* alleluia *ad versus* Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix, *aliosque, prouti in casu expositum est?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Sebastiani Gaetano, **Pontif. Seminarii Rom. alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 19 Februarii**

1902; acta epitome per R.mum Dom. Alfonsum Carinci ex Apost. Caeremoniar. Magistris.

1. Unde origo vocis iubilationis *Alleluia*, quinam illius usus in sacris, maxime tempore paschali, in Ecclesia seu Latina seu Graeca?

Vox *Alleluia* hebraica vox est ab **Hallel,** quod *laudate Dominum, vocem extollite cum laetitia*, et **Iah** composita, quae postrema unum ex *Dei* nominibus exprimit. In ullam aliam linguam non est vertenda, ait Isidorus (lib. I *de divin. offic.*, cap. 13), ob suam nimirum magnam auctoritatem, cum fuerit hebraica lingua in cultu, qui vero Deo exhibebatur, adhibita. Haec vox invariata cunctis in Liturgiis remansit, et in cunctis frequentissime usitata in variis rituum formis. Facta est, si ita liceat loqui, quasi vox sacramentalis ad Deum laudandum. Andreas Cardinalis Bona in libro *De divin. psalm.* (*C. XVI, § 7. n. 7*) scripsit: Illud advertendum multo maiorem vim apud Hebraeos habere hanc vocem *Alleluia*, quam apud Latinos *Laudate Dominum:* hoc est enim exhortantis vel excitantis ad Deo laudes reddendas; et *Alleluia* vim potius habet interiectionis quam verbi, et vehementem sonat affectum acclamantis prae gaudio, et ex laude Dei exultantis atque in iubilum vocemque laetitiae erumpentis.

De usu huius vocabuli *Alleluia*, quae genuina hebraismi in veterem christianae Ecclesiae disciplinam derivatio est, magna exorta est confusio et sententiarum diversitas inter liturgicos auctores. Nonnulli dicunt, usum *Alleluia* decantandi perantiquum esse, alii recentem; quibusdam videtur distinctio ponenda inter orientalem et occidentalem Ecclesiam, seu melius inter *hierosolymitanam* et *romanam;* quidam autem tempus paschale a reliquo anni tempore discernunt. Quod romanam respicit Ecclesiam, ex quadam Sozomeni sententia, et ex alia S. Gregorii, orta esse videtur confusio. Primus, de variis consuetudinibus sermonem faciens

quae in Ecclesia deprehendebantur, ait, Romae, unoquoque anno, semel in primo Paschae festo, cantari *Alleluia;* S. Gregorius vero, respondens quibusdam, qui murmur excitaverant, eo quod in Missa inseruerit *Alleluia*, etiam extra tempus paschale, declarat traditum esse, S. Hieronymi opera, S. Damasi Papae aevo, Romam morem introduxisse *Alleluia* cantandi, ab Ecclesia Hierosolymorum incipiendo. Circa Sozomeni sententiam, observat Baronius, hîc, historiographum deceptum fuisse, confundendo praxim ab haeretico Vigilantio introductam cum romanae Ecclesiae more; sed quidquid sit de huiusmodi interpretatione, quae aliquibus minus videtur conveniens, eo quod non unus Sozomenus, sed et Cassiodorus idem referat, S. Gregorius retinendus est optime instructus de moribus romanae Ecclesiae. Thomasius conciliare satagit Sozomenum cum S. Gregorio, asserens primum locutum fuisse de solemni *Alleluia*, quod canebatur die sancto Paschae, alterum autem de cantu *Alleluia*, ad libitum celebrantium relicto ceteris diebus. At haec interpetratio haud placet, cum Ecclesia, ac praecipuae romana, non soleat adeo frequenter arbitrio celebrantium relinquere usum quarumdam precum solemnium.

Benedictus XIV verius opinatur, S. Gregorium usum iam existentem quoad *Alleluia* reduxisse, prohibens ne in exequiis diceretur et in Quadragesima, et verbis innititur illius Pontificis, qui, postquam dixerit: " Ut *Alleluia* diceretur, de Hierosolymorum Ecclesiae, ex B. Hieronymi traditione, tempore B. M. Damasi Papae traditur tractum „, addit: " et ideo magis in hac re illam consuetudinem amputavimus, quae hic a Graecis fuerat tradita „. Idem protulerunt iudicium adnotatores Maurini operum S. Gregorii. Ceterum a priori improbabile est, Romanam Ecclesiam, quae Tertulliani et S. Augustini tempore canebat *Alleluia*, postea dereliquisse. Dicendum ergo, verba S. Gregorii alia supponere adiuncta, illi nota cui scribebat, nobis vero ignota.

In novo Testamento istius vocis mentio fit in Apocalypsi (*Cap. 19*), in qua S. Ioannes narrat, se audivisse in Caelo chorum Angelorum *Alleluia* canentem. Hoc excepto Apocalypsis loco, frustra *Alleluia* quaereremus in aliis novi Testamenti libris; nec ullum datur inveniri certum vestigium in primaeva christiana literatura. Nec Patres apostolici, nec Διδαχή, nec Clementinae exempla proferunt de *Alleluia*. Sed cum diversas Liturgias iam formatas consideramus, tunc erumpentem hanc gaudii vocem videmus, cunctas pervadentem, et S. Hieronymi ac S. Augustini aevo *Alleluia* iam cantum popularem fidelium factum esse innotescit. Tempore S. Benedicti *Alleluia* omittebatur tantum adveniente Quadragesima, ut novimus ex cap. XV Regulae eiusdem beati Patris. Paucis post annis omitti coeptum est a Dominica Septuagesimae, ut statutum videmus in Antiphonario S. Gregorii, ubi pro *Alleluia* nonnulli ponuntur versus *Tractus*. Frequentius occurrit uti vox ritualis, praecipue in Psalmis. Imo ob hanc frequentiam excogitata fuit quaedam psalmorum categoria, quos S. Augustinus vocavit *alleluiaticos*. Certum est ex Psalmis binas confectas fuisse laudes liturgicas, in usu apud populum hebraicum pro solemnioribus occasionibus, quae appellatae fuerunt *Hallel*, alteram aegyptiaco *Hallel* seu communi distinctam, alteram *Hallel* magno. Independenter a Psalmo, et quatenus hymnus specialis laudis, et laetitiae canticum, cantabatur *Alleluia*, baptismatis solemnis, administratione completa, post Lectiones Missae noctis Paschalis, continuato usu usque in Pentecostem, ubique. De quo usu forte vestigium habemus in forma solemni, qua hodiedum *Alleluia* decantatur post Epistolam Missae Sabbati Sancti: hoc namque conforme est ritui, qui in antiquioribus Ordinibus Romanis invenitur, in quibus dicitur Pontifex intonare debere *Alleluia;* et in Ordine Amelii iam invenitur quod in *Caeremoniali Episcoporum* legitur, Subdiaconum

nempe, profunde ante Episcopum inclinatum ei dixisse: *Annuntio vobis gaudium magnum, videlicet* **Alleluia**.

Passim olim haec vox usurpabatur; sic, in Monasterio Bethlehemitico a S. Paula fundato, *post* **Alleluia** *cantatum, quo signo* (sacrae Virgines) *vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat* (S. Hieron. Ep. 27 ad Eust. Ep. Paulae). Narrat Fortunatus Pictaviensis in vita S. Germani Parisiensis, hunc sanctum Episcopum incendium extinxisse dulci ac suavi cantu *Alleluia*. Nec huiusmodi usus erat tantum apud cultiorem coetum; populus quoque in agris Palestinae in eo se placebat. Paula et Eustochius, Marcellae scribentes eam invitant ut Bethlehem veniat, hanc inter alias eorum regionum delicias ponentes: " Quocumque te verteris arator stivam tenens *Alleluia* decantat. Sudans messor psalmis se avocat, et curva attondens vitem falce vinitor, aliquid Davidicum canit „.

Similiter, iuxta S. Augustini allusionem, hic fuisse videtur nautarum cantus; et Sidonius Apollinaris hunc morem ita describit: " Curvorum hinc chorus helciariorum, - Responsantibus *Alleluia* ripis, - Ad Christum levat amnicum celeusma (lib. II, ep. 10) „. S. Paulinus, similitudine a grege accepta, ita describit hunc cantum popularem (Ep. 18): " Hinc senior sociae congaudet turba catervae „ *Alleluia* novis balat ovile choris „. Quaedam orta est species venerationis in hanc vocem, et quasi solatium considerata est inter exilii terreni poenas: " In hoc quidem tempore, scribit ad rem S. Augustinus (Serm. CCLV, n. 1), in hoc quidem tempore peregrinationis nostrae ad solatium viatici dicimus *Alleluia*: modo nobis *Alleluia* canticum est viatoris, tendimus autem per viam laboriosam ad quietam patriam, ubi retractis omnibus actionibus non remanebit nisi *Alleluia* „.

Ita *Alleluia* considerato, facile intelligitur quomodo in diversas introductum fuerit liturgicas formas. Magis in Orientalibus extensum ac praecipue in graeca, gradatim in Ro-

manam invectum est. Ecclesia graeca etiam in hodierna Liturgia *Alleluia* retinet quocumque anni tempore, et in ritu quoque funebri usurpat. Hic autem usus etiam in Ecclesiis occidentis viguisse constat; Sanctus quippe Gregorius in Epistola ad Oceanum, de funere Fabiolae loquens, ait: " Sonabant psalmi et aurata tecta templorum, reboans in sublime quatiebat *Alleluia* „ Tertullianus (*de orat. c. 27*, ap. Magani l'Ant. Lit. R. *vol. II. p. 84*): " diligentiores in orando subiungere in orationibus *Alleluia* solent, et hoc genus Psalmos, quorum clausulis respondeant qui simul sunt: uti fieri solebat ab Hebraicis in Palmis *Alleluiaticis*„. Notetur Tertullianum fuisse Africanum et Ecclesiam Africanam in circumscriptione metropolitana Romae extitisse. S. Augustinus (*Enarr. in Ps. 106*): " Est enim *Alleluia* et bis *Alleluia*, quod nobis cantare certo tempore moris est *secundum Ecclesiae antiquam* consuetudinem... cantatur autem iste de universa Ecclesia *Dei diffusa toto orbe terrarum*. Idem S. Doctor (*Ep. 55. n. 32*, ap. Magani *l. c.*): " Ut autem *Alleluia* per illos solos dies 50 in Ecclesia cantetur, *non usquequaque* observatur, nam et aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, *ipsis autem diebus ubique* „. Quod confirmatur a S. Isidoro (*De div. off. l. 1. 13*): " In Africanis regionibus non omni tempore sed tantum dominicis diebus et 50 post D.ni resurrectionem *Alleluia* cantatur... verum apud nos secundum antiquam Hispaniarum traditionem, praeter dies ieiuniorum vel quadragesimae, omni tempore canitur *Alleluia* „. Ita et antiqua Liturgia Gallicana et Mozarabica *Alleluia* servabant in funebribus ritibus, uti retinuit Liturgia Toletana ad *Lauda* in Missa pro defunctis. Sed curnam laetitia et inter funera? Quia mors Christianis non est causa tristitia, verum potius laetitiae, quia est exitus bellorum felix, terminus exilii, quies post laborem.

Sed facta postmodum, primaevo fervore frigescente, sensibili distinctione inter tempus laetitiae et tempus moeroris, accidit ut potissimum paschali tempore adhiberetur

laetitiae vox, parum infra annum, nullimode vero tempore luctus et poenitentiae.

Hodierna latinae Ecclesiae disciplina inspecta, *Alleluia*, paschali tempore ob laetitiam Resurrectionis Domini, plurimum adhibetur; in responsoriis lectionum et in versiculis divini Officii, exceptis illis qui precum formam praeseferunt, prout sunt qui ad Primam et ad Completorium recitantur; hae namque preces gemitum indicant, quam non convenit cum gaudio miscere.

Praeter paschale tempus, *Alleluia* dicitur, parcius tamen, in Officio Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Transfigurationis, idque ut maxima significetur laetitia in iisdem festis celebrandis. Omittitur *Alleluia* a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum, quod iussu Alexandri II Papae factum est, ut refert Macrius, testimonio Micrologi fretus *(c. 47)*, et Honorius Augustodunensis in *Gemma Animae (lib. 4. c. 117)*, quia hoc tempore incipit tristis recordatio nostrorum protoparentum. Quasi ad extremum *vale* huic laetitiae cantui, ℣. *Benedicamus Domino* in Vesperis Sabbati ante Septuagesimam, duplici addito *Alleluia* decantatur. Imo medio aevo, aevo videlicet venustioris poesis religiosae, ad melius hoc *vale* significandum, alicubi usuvenerat officio quodam *Alleluiatico* celebrare, Matutinum cum Laudibus complectente. Eaedem militant, ut patet, rationes *Alleluia* omittendi in Missis feriarum S. Adventus, in Quatuor Temporibus et Vigiliis, in quibus ieiunatur. Quondam non cantabatur die Circumcisionis Domini, ex Decreto Concilii Toletani IV *(can. XI)*, eo quod die illo, fideles ieiunabant et Litanias cantabant, ut adversarentur Gentilibus, qui suae crapulae illicitisque solatiis indulgebant. Nec in festo Ss. Innocentium locum habet, ob Rachelis ploratum, quae figurative luctum repraesentat Ecclesiae; aut ea de ratione, quod tunc tempus erat (inquit Alcuinus), in quo *ad inferi claustra passi descendebant;* aut etiam, sic autumant alii, ob fugam Pueri Iesu. Attamen si

in Dominicam incidat, *Alleluia* reviviscit ob Dominicae Resurrectionis memoriam. Et ob eandem hanc causam dicitur in pervigilio Nativitatis Domini, cum in Dominica occurrit. Ex Missalis Romani Rubrica: " Post Graduale dicuntur duo *Alleluia* deinde versus, et post versum unum *Alleluia*. Tempore paschali, quando non dicitur Graduale, dicitur aliud *Alleluia*, post secundum versum; et quando dicitur Sequentia, non dicitur post ultimum versum, sed post Sequentiam ".

Hinc videmus, quemadmodum in Missa, spatium quod inter Epistolam et Evangelium intercedit, ut plurimum, a *Graduali* occupari, et diebus tristitiae et doloris a *Tractu*. Hic est tristitiae symbolum, *Graduale* vero non est canticum gaudii pleni, et repraesentat laboriosam peregrinationem fidelium ad patriam caelestem. Unde, sicuti tempore paschali adveniente, cessat cantus *Tractus*, ita, hebdomada paschali excepta, cessat hoc tempore et *Graduale*, eiusque locum excipit *Alleluia;* anima tunc enim terrae oblita et poenarum suae peregrinationis, nonnisi in gaudia effunditur. Adventus, quamquam ad poenitentiale tempus accensetur, *Alleluia* non respuit, mixtum quippe gaudii et moeroris habet, tempus sane est expectationis et spei, quae plenum non admittunt gaudium, quod in sola sperati boni possessione adimpletur.

II. Num in Missis, quae suis in locis *Alleluia* ferunt, vox ista iubilationis addenda nec ne sit quando, paschali tempore, uti votiva dicitur? Quid peculiariter iudicandum de Missa votiva sacri Iesu Cordis, eodem in tempore, quod *Alleluia* pertinet, citatis Decretis inspectis?

Rubrica Missalis de Missis votivis loquens, haec habet: " Tempore paschali in fine *Introitus* dicuntur duo *Alleluia;* et in fine *Offertorii* et *Communionis* additur *Alleluia* ubi non habetur. Hinc Missae, quae *Alleluia* suis locis iam habent, hanc vocem iubilationis non addunt, satis est enim ex generali Rubrica bis in *Introitu* et semel alias dixisse, quam-

vis interdum Missae habeantur peculiares, quae pluries repetunt.

Quod Missam attinet de SS. Corde Iesu votivam, ratione habita duorum Decretorum, quae sibi invicem adversari videntur, dicimus, extra paschale tempus, duplex *Alleluia* ad *Introitum* omitti debere, iuxta Decretum in *Cameracen.* d. d. Sept. 1865, n. **3137**, ad V. Praeterea omitti debet etiam ad *Offertorium* et ad *Communio*, iuxta Decretum in *Lincien.* diei 6 Febr. 1892, n. 3764, ad X; et si hoc Decreto responsum fuit *Negative*, ad dubium S. R. C. propositum: " An in Missa votiva S. Cordis Iesu " Miserebitur „ extra tempus paschale omitti debeant *Alleluia* tum ad *Introitum*, tum ad *Offertorium*, et *Communionem* „, pro *Affirmative*. id errori typographico tribuendum est.

III. Quid, Rubricis Decretisque perpensis, iudicandum circa *Alleluia* in antiphona *O sacrum convivium*, quid circa eamdem vocem addendam ad *Panem de caelo*, seu in communione ministranda, seu post *Tantum ergo*, infra octavam Corporis Christi?

Quod respicit Antiphonam *O Sacrum convivium* et ℣. *Panem de caelo*, qui dicuntur post S. Communionis administrationem extra Missam, dicendum est infra octavam Ss. Corporis Christi, eadem gaudere privilegio *Alleluia* adiiciendi, ut praescribitur tempore paschali, et id eruimus ex Gavanto *(Part. II, Tit. XX. CXXXIII)*, ubi de administratione S. Communionis sermonem habens, inquit: " Peracta Communione, reversus ad Altare, et deposita Pyxide super eodem, Celebrans . . . . . dicit *O Sacrum Convivium* . . . . . deinde dicit *Panem de caelo*, et tempore paschali, sicuti etiam infra Octavam Corporis Christi, tam Antiphonae, quam versui additur *Alleluia*. Et ipsum Rituale Romanum: " Ubi omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad Altare dicere poterit *O sacrum convivium.* ℣. *Panem de caelo.* ℟. *Omne delectamentum...*„ Tempore Paschali additur *Alleluia*.

De ℣. una cum ℟. nullum remanet dubium pro tempore Paschali; sed dubitatum fuit an deberet adiungi etiam ad Antiphonam, et S. R. C. Decret. **3576**, ad. XI, respondit affirmative.

Etiam ad ℣. *Panem de caelo* qui post *Tantum ergo* dicitur per octavam Corporis Christi addendum est *Alleluia* ut tempore paschali, idque praecipitur ab *Instructione Clementina* (§. XXXII), ubi dicitur: " Al versetto *Panem de caelo* si aggiungerà l'Alleluia nel tempo pasquale ed in tutta l'Ottava della festività del Corpus Domini in qualsivoglia esposizione che si faccia „.

Hoc autem statutum fuit iuxta Cavalerium, quia paschali tempore, hoc est in paschali coena, SS. Eucharistia fuit instituta, et per praefatam Octavam specialiter colitur eiusdem institutio.

IV. Quid denique tenendum in praxi super *Alleluia* ad versus *Ora pro nobis*, *Sancta Dei Genitrix*, aliosque, prouti in casu expositum est?

Alleluia etiam tempore paschali non est adiiciendum extra officium canonicum ad ℟. *Ora pro nobis* in fine Litaniarum, neque ad *Benedicamus Patrem et Filium*, post *Te Deum*, et id praescribitur Decreto **3764** S. R. C. diei 6 Febr. 1892. Quae S. Congregatio ad dubium XVIII: An usus addendi tempore paschali, in exercitiis devotionis, quae extra officium canonicum maxime coram SS.mo Sacramento habentur, *Alleluia* ad versiculos v. g. *Ora pro nobis* post litanias lauretanas, ad ℟. *Benedicamus Patrem et Filium* post *Te Deum*, tolerari possit, respondit: " *Negative* „, scilicet non esse adiungendum *Alleluia* ad praefatos versiculos extra officium canonicum.

Ad casum propositum devenientes, quaeramus, an Rubricae et Decreta observentur, quoad laetitiae vocem *Alleluia*. Dicitur in casu nonnullos tempore paschali duplicem *Alleluia* apponere ad *Introitum* Missae votivae S. Cordis

Jesu, unum ceteris in locis, unum similiter si Missa votiva non est. Ex iis quae exposuimus dicendum est, recte se gerere adiicientes duo *Alleluia* ad *Introitum* et unum ad *Offertorium* et ad *Communio,* non autem recte adiicentes unum tantum ad *Introitum* in Missis, quae non sunt votivae. Qui autem his in casibus, et tempore Paschali, ne unum quidem apponunt, male prorsus agunt.

Ex casu insuper apparet, nonnullos tempore paschali S. Communionem administrantes ante vel post Missam de Requie *Alleluia* addere ad Antiphonam *O Sacrum convivium*, et ad ℣. *Panem de caelo*: hi porro agunt contra Decretum S. R. C. in *Senen.* **3465**, d. d. 26 Nov. 1878, quod ad dubium: " Quum tempore paschali administrandum est SS.mum Eucharistiae Sacramentum, ante vel post Missam de Requie, debent ne dici Oratio et versiculi de tempore atque *Alleluia*? responsum fuit: " Affirmative, quoad Orationem et versiculos; Negative, quoad *Alleluia* „.

Infra Octavam Corporis Christi, non modo ante (ut in Instructione Clementina praecipitur), sed et post eandem, in Dominica nempe Octavam subsequente, cum Processio instituitur, *Alleluia* addendum est post ℣. *Panem de caelo*, qui *Tantum ergo* sequitur, sic declarante Decreto S. R. C. numero **3448** ad X, die 11 Maii 1878 promulgato. In Communione extra Missam, tempore paschali, adiungi debet *Alleluia* Antiphonae *O sacrum convivium* et ℣. *Panem de caelo*, uti statuitur Dec. 3576 ad XI, die 5 Iunii, ut superius diximus.

Postremo respondemus, non debere *Alleluia* adiici ad ℣. *Ora pro nobis*, nec ad *Benedicamus Patrem et Filium*, nec ad *Emitte Spiritum tuum*, quia huiusmodi versiculi dicuntur in Officio canonico. Quod confirmatur Decreto **1334** ad VI, quo S. R. C. die 13 Febr. 1666 rescripsit. " Tempore paschali non additur *Alleluia* Antiphonis et aliis extra Officium de praecepto „.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio n. 3, p. 162)

(370)..... *et id semper servetur, quando festum habens octavam transfertur; sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae alias erat octava, si festum non fuisset translatum.* Quod facile intelligitur: agitur enim de translationibus accidentalibus festorum, non de perpetuis eorum repositionibus, de quibus infra. Festum enim habens octavam, si impediatur quominus sua die celebrari possit, transfertur in primam ex diebus liberis infra eius octavam, quia " sine speciali indulto, docet De Herdt *(p. 4, n. 278)*, a propria die amoveri non potest aliud duplex, vel etiam semiduplex, infra octavam occurrens, ut huius loco celebretur „. Hoc privilegio, ut vidimus, fruuntur tantummodo festa Purificationis et Annunciationis B. M. V. et S. Ioseph ac Nativitas S. Ioannis. Quod si, continuat De Herdt *(ibid.)* " festum post integram suam octavam transferatur, nullo amplius gaudet privilegio, et suo ordine transferri debet; si tamen dies non impedita occurrat, priusquam octava finem habeat, in repositione praeferendum est aliis festis, etiam maioris ritus vel dignitatis prius translatis, quae tamen non gaudent octava, vel post suam octavam transferuntur „.

Quae praeferentia exurgit e pulcherrimo principio, quod suum fecit Sacra Rituum Congregatio, in decreto 2 Septembris 1741, n. 2365: quo declaravit, non esse faciendam mutationem tertii versus in hymno *Iste confessor,* quando officium Sancti habentis octavam, non ultra octavam transfer-

tur; *quia*, en principium admissum, *quia tota octava nihil aliud est quam extensio ipsius festi.*

Quod privilegium, addit De Herdt, " habet non tantum in die infra octavam, sed etiam in ipsa die octava, si haec aliter non sit impedita „: Notentur haec verba.

Super hoc S. R. C. die 23 Aprilis 1895, n. 3853, novum emisit decretum, quod plura alia antiquae Collectionis sub nn. 4493, 4494, 4728, 4992, et 5904 ad IV, nunc expuncta, comprehendit.

En verba decreti N. 3853 - *Sacra Rituum Congregatio declarat: Festum duplex habens octavam, quando in die sua celebrari iuxta Rubricam haud valeat et infra totam suam octavam transferri nequeat, transferendum esse in ipsam octavam diem, quamvis in Dominicam incidat; dummodo non occurrat aliud Festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius: quo in casu S. R. C. iubet ut illud de more transferatur in primam diem liberam iuxta Rubricas.*

Curnam in ipsius octava die erit transferendum festum sua die impeditum? Duabus ex causis: 1. quia dies infra octavam, imo dies ipsa octava, reputantur dies propriae festi translati, ut declaravit S. R. C. in citato decreto 2365; 2. quia in casu dies octava revera evadit libera.

Exemplum rem declarabit.

In civitate Ferrariae, ubi S. Georgius martyr est patronus principalis, agitur eius festum ritu 1 classis cum octava; et ecce calendarium perpetuum illius civitatis:

Aprilis 23 S. Georgii Mart. Patroni princip. *dupl. 1 classis cum octava.*
„ 24 S. Fidelis a Sigmaringa Mart. *dupl.* com. oct.
„ 25 S. Marci Evang. *dupl. 2 cl.*
„ 26 Appar. B. Mariae Virg. de Bono Consilio *dupl. mai.* com. oct.
„ 27 Ss. Cleti et Marcellini Pont. Mart. *semid.* (assign. ex heri) com. oct.

„ 28 S. Pauli a Cruce C. *dupl.* com. oct.
„ 29 S. Petri Mart. *dupl* com. oct.
„ 30 Octava S. Georgii M. *dupl. In ecclesia vero B.* S. Catharinae Senen. Virg. Titularis *dupl. 1 clas.* com. diei oct. S. Georgii.

Itaque quando Pascha incidit in dies 16, 17, 18, 19, 20, 21 Aprilis, S. Georgius occurrit infra hebdomadam paschalem, ac proinde transferri debet in primam diem liberam, iuxta Rubricas (Notandum 1 post Tabellam occurrentiae).

Quae sit dies libera iam supra declaravimus, illa nempe in qua non occurrit *perpetuo* aliquod officium novem lectionum, vel *accidentaliter* aliqua dominica, aut feria maior. Clare patet, quod in exposito calendario perpetuo Ferrariensi nulla est dies libera infra octavam ipsius s. Georgii; ergo festum eius infra octavam celebrari non poterit. Adverte tamen, quod in die 30 Aprilis ponitur dies octava eiusdem sancti Patroni, ideoque quando festum eius celebratum non fuit neque die sua 23 Aprilis, neque in aliquo ex diebus infra octavam, quomodo agetur dies eius octava? Quale ergo fiet officium in casu die 30 Aprilis? Non de S. Catharina Senensi, quae Ferrariae assignata est die 11 Maii, non de octava, quia festum S. Georgii adhuc celebratum non est; ergo Ferrariae libera quodammodo evadit dies 30 Aprilis; quod si vacua efficitur, bene potest in ea reponi festum S. Georgii; imo debet, conclamantibus Rubricis, de festo translato fieri in prima die libera officium.

Aliis verbis, cum de die octava fieri nequeat, dies ipsa octava evadit dies festus, in casu, S. Georgii, propter pulcherrimam rationem quam nobis exhibet ipsa S. R. Congregatio ut supra retulimus.

Itaque quando festum habens octavam, neque sua die, neque infra octavam celebrari possit, recolitur in ipsa die octava, quae nihil aliud est quam extensio ipsius festi, et ideo adhuc in eius festo sumus.

In allato decreto n. 3853, duae habentur clausulae quae indigent illustratione; prima dicit: *quamvis in Dominicam incidat* (dies octava); secunda habet: *dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius.* Videamus quousque extendantur; sit ergo prima: *quamvis in Dominicam incidat.*

Hac voce Dominica, intelligine debet tantummodo Dominica per annum, seu minor, aut etiam Dominica maior, seu secundae classis?

Redeamus ad exemplum propositum.

Suppone S. Georgii Patroni festum occurrere in Dominica *in Albis;* cum haec sit maior et primae classis, festum impeditur. Cum autem dies eius octava necessario occurrat in Dominica secunda post Pascha, licebit ne in hanc Dominicam transferre festum S. Georgii? Procul dubio licebit, dicit enim decretum nostrum: *quamvis in Dominicam incidat.*

Et sane. Cum dies octava ritu duplici recolatur, ipsa praefertur officio Dominicae minoris; hinc Ferrariae, si iam festum S. Georgii celebratum esset, in Dominica secunda ageretur de die octava S. Patroni cum commemoratione Dominicae; igitur, quando festum nondum celebratum sit, in die Dominica loco officii diei octavae, agitur festum ipsum S. Georgii.

Hoc plane concordat cum iis quae supra disseruimus. Fac autem quod dies octava occurrat, non in Dominica minori seu per annum, bene quidem in Dominica maiori, quid erit tunc agendum?

Ecce tibi exemplum. Anno 1902 S. Andreas Apostolus incidit in Dominicam 1. Adventus; in Ecclesia ubi est Titulus, festum eius celebratur cum octava. Cum autem infra eius octavam nulla inveniatur dies libera, transferendum ne erit in Dominicam sequentem secundam Adventus, quae est dies eius octava?

Ita concludi poterit forsan ab eo, qui verba decreti ni-

mis late accipiens, diceret: ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Atqui prima clausula habet: *quamvis in Dominicam incidat* sine ulla distinctione, ergo comprehendit quoque Dominicas maiores.

Sed contra. Ante omnia, si hoc argumentum valeret, comprehendendae essent Dominicae quoque 1ae classis, quod est falsum omnino; quia si huiusmodi Dominicae excludunt festum duplex primae classis occurrens, tanto magis translatum.

Sed neque hanc conclusionem deduci posse credimus ex verbis decreti, quia hoc esset penitus contrarium Rubricis, quae numquam admittunt fieri translatum officium, licet primae classis, in Dominicis 2 classis; sed et contrarium spiritui Ecclesiae, quae statuit Dominicas Adventus et Quadragesimae recolendas esse ubique terrarum speciali solemnitate. Etenim decretum ponendo clausulam, *quamvis in Dominicam incidat*. loqui intellexit de Dominicis minoribus tantummodo, non de maioribus. Si enim in hoc contra Rubricas et spiritum Ecclesiae aliquid statuere voluisset, explicite id innuisset dicens: *quamvis in Dominicam incidat licet secundae classis*. Non tamen id dixit, ergo noluit.

Ratio est omnino perspicua, quia: cum Dominica dicitur, numquam maior intelligitur sed semper *minor*, nisi additum *maioris* exprimatur. Cum ergo in decreto *Dominica* tantum nominetur, iam patet in eo non de maiori Dominica verba fieri, sed tantummodo de minori. Atqui in decreto nominatur Dominica ullo sine addito; ergo per hanc appellationem Dominica minor tantum intelligitur, et maior excluditur. Aliunde privilegium festi quod ex decreto est, haud magis convenit ut extendatur, quam verba ipsa significant.

Rubricae speciales Breviarii Franciscalium, quae non sunt nisi elucidationes e S. R. C. desumptae, ad rem habent (n. 74): "Si festum alicuius Sancti secundae classis, habens octavam, a propria die transferri contingat ob aliquod impedimentum (dummodo aliud festum pariter impeditum ha-

bens octavam, infra suam octavam prius reponendum non sit), reponi debet infra octavam in prima die non impedita festo novem lectionum, si adsit, sin minus in die octava, etiam si incidat in Dominicam non privilegiatam „.

Nunc ad secundam clausulam decreti, quae dicit: *dummodo non occurrat aliud festum... superius.* Sed hoc festum, de quo dicitur esse debere superius ut praevaleat, cuinam dicit relationem? Festivitati die suo impeditae, an diei octavae? Hunc enim duplicem sensum Decretum habere potest, hoc est: Festum die sua impeditum reponi debet in die octava, nisi aliud festum superius *se* occurrat: hic est primus sensus. Alter est: festum die sua impeditum in die sua octava reponi debet, nisi aliud festum occurrat superius *die ipsa octava.* Iam nunc primus sensus, nobis exorbitare ita videtur, ut admitti non possit, cum aliter caeterum explicari decretum possit. Hinc alius est amplectendus sensus, ut festum in die octava occurrens debeat semper fieri quando die ipsa octava superius est.

Res melius explicabit nostrum exemplum e Calendario Ferrariensi desumptum.

Pro ecclesia B. civitatis Ferrariensis dies 30 Aprilis neque libera est in Calendario perpetuo, est enim festum natalitium titularis Sanctae Catharinae Senensis, neque libera evadit in casu, etiamsi nondum sit celebratum festum S. Georgii civitatis patroni. Si porro dies 30 Aprilis, quae est dies octava S. Georgii, pro ceteris Ferrariensibus ecclesiis dependet a festo ipsius, et est quodammodo eius complementum, certe in ecclesia B. eadem dies 30 Aprilis nullimode dependet a festo S. Georgii. Hinc, quia non est libera dies 30 Aprilis in ecclesia B., et quia inibi non celebratur continuatio festi sancti Patroni, quod suspenditur pro celebranda solemnitate Titularis, in ea nequit omnino reponi festum S. Georgii; ac propterea perperam applicatur declaratio decreti n. 3853.

Si aliter decretum accipiendum esset, haec incongruentia ex ipso manaret: Festum classicum, quod celebrari nequit diebus infra suam octavam, ob occurrentiam festorum duplicium minorum vel semiduplicium, celebrari posset in die octava sua, licet occurrat in ea Festum classicum, non tamen superius *ritu*, vel *primarii qualitate*, vel *dignitate* ipso festo transferendo: quod est inauditum.

Sed vero aliquis ex huiusmodi decreti clausula secunda sic arguere posset: In casu proposito, die 30 Aprilis, etiam pro Ecclesia B, quamvis occurrat Titularis, hic neque *ritu*, neque *primarii qualitate*, neque *dignitate* est festivitate Sancti Georgii *superius*, ergo huic cedere debet. Sed haec conclusio nimis est absona a liturgicis legibus; nos autem non credimus hanc esse voluntatem et mentem S. R. C.: quae revera intellexit declarare transferendum esse festum in ipsam suam diem octavam, dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius *ipsa die octava*, non autem superius *festo transferendo*. Aliis verbis, S. R. C. hoc dicere voluit: transferatur festum in suam diem octavam, dummodo *haec dies non sit impedita a festo maiori*.

Attamen in die octava, ad quam transferendum esset festum classicum sua die impeditum, occurrere potest et alia dies octava; licebitne agi officium de festo translato, cum commemoratione alterius diei octavae? Aliud exemplum rem explicabit. Die 21 Maii occurrit (anno 1903) festum patronale S. Secundini Mart. ritus duplicis primae classis cum octava. Sed eodem die occurrit etiam Ascensio Domini, quae illi praevalet, sub eodem ritu. Consequenter, eodem, ut supra, decreto posito, festum S. Secundini, cum dies omnes infra octavam sint impediti, reponendum foret die 28 eiusdem mensis, quae est dies eius octava; attamen est quoque dies octava Ascensionis. Itane ergo decretum 3853 intelligendum, ut octava dies Ascensionis ad ritum simplicem sit redigenda?

Cui quaestioni respondendum est negative. Equidem in casu dies octava S. Secundini non est libera, in ea enim agitur officium octavae Ascensionis ; dies autem octava cuiuscumque dignitatis cedit duplicibus primae classis occurrentibus, non vero translatis. Novi ergo decreti dispositio neque est applicanda ad hunc casum, quia stant etiam pro eo rationes a nobis allatae.

Concludendo itaque dicimus, quod decretum n. 3853, intelligendum est iuxta spiritum Rubricarum, sensum S. R. Congregationis, et doctrinam scriptorum, qui magis sunt accepti ; ideoque decretum ipsum ita est interpretandum quasi diceret :

Festum habens octavam quando in die sua celebrari non valeat, et infra totam suam octavam tranferri nequeat, transferendum est in ipsam octavam diem, quamvis in Dominicam incidat minorem, et dummodo octava ipsa ab officio maiori iuxta rubricas non sit impedita.

(Continuabitur).

Doct. Petrus Piacenza.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE IUNIO 1902.

Quandonam liceat officium defunctorum cum Invitatorio recitare vel canere in Ecclesia *sub ritu duplici*, et quando ad Laudes et Vesperas illius, Psalmi *Lauda* et *De profundis* omittere?

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio.* V. num. 4, pag. 237-242).

(22) Intenta supramodum Instructio nostra in iis, quae debitum cultum Sanctissimo Sacramento exhibendum respiciunt, commendandis, Decretum S. R. Congregationis **937**, refert, quo genuflexio praecipitur *utroque genu* facienda coram Sanctissimo palam exposito, et quidem a quibuscumque personis, *cuiusvis conditionis et ordinis.* Quibus verbis innuitur, ita esse faciendum tam intra, quam extra Presbyterium, tam a Clericis, quam a laicis. Num eo quod in Decreto dicitur *publice.* intelligi debet, ut nullo alio praesente, v. gr. de nocte saltem, ianuis clausis, non obliget utroque genu flexo reverentia? Minime profecto; nam vox *publice* ad modum expositionis referenda est, prout si diceretur: *palam, patenter,* unicuique aspicere volenti, non ad relationem, quam habere potest cum pluribus vel paucioribus adoratoribus, aut etiam cum uno tantum. Obscurum tamen manet quid sibi velit dictio: *avanti al Santissimo Sacramento:* clarius explicat citatum Decretum, his verbis: *ante illud transeuntes,* sed neque hac ratione penitus rem attingimus; namque distinguendus est actus in functione ponendus, ab actu extra functionem; unde operis pretium ducimus alia S. R. Congre-

gationis Decreta, quae opportune data sunt, referre, et ab antiquiori generalissimo incipere.

Decretum **877**, ad 1, in una *S. Marci*, datum die 26 Novemb. 1644, statuit: " Semper et a quocumque coram Ss. Eucharistiae Sacramento esse genuflectendum ,,. — Alterum, in *Varsavien.* num. **2390**, ad 4, 7 Maii 1746: " Genuflexiones utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante Sanctissimum Sacramentum, etiam quando in Pyxide patenter sit expositum ,,. — Tertium quod est in *Wilnen.*, n. **2427**, ad 10, datum 22 Decemb. 1753: " Quando absolvitur Missa lecta coram Sanctissimo Sacramento exposito, attamen velato, aut coram SS. Sacramento in Pyxide exposito, debent omnes genuflexiones observari, quae alias observantur coram Sanctissimo Sacramento publice exposito et non velato ,,. — Quartum, *Marsorum*, **2682**, ad 47, 12 Novemb. 1831: " Serventur Rubricae: sed in accessu et recessu *in plano* est genuflectendum; in infimo autem gradu Altaris, quoties insuper genuflectere occurrat ,,. Id quando Celebrans genuflectit ante Altare Sanctissimi Sacramenti tam expositi, quam in Tabernaculo reconditi. — Et idem Decretum, ad 49: " Genuflexio, quae fit coram Sanctissimo Sacramento exposito, tam in Missa, quam in Oratione Quadraginta Horarum ceterisque functionibus, tum a Celebrante, tum a Ministris, vel ab alio, qui exponit et reponit, fieri debet in accessu et recessu *utroque genu;* intra Missam *unico genu*: pro reliquis functionibus consulantur Rubricistae ,,. — Quintum, in *Angren.* 18 Augusti 1877, n. **3434**, ad 6, idem confirmat. — Sextum, n. **3426**, ad 6, *Galliarum, Societatis Presbyterorum Sanctissimi Sacramenti,* 7 Iulii 1877: " Minister in Missa privata, iusta de causa ad Altare ubi SS. Sacramentum est expositum celebrata, quoties transit intra Missam ante medium Altaris, genuflectere debet: in accessu et recessu *utroque genu*, intra Missam *unico genu* ,,. — Septimum, *Parisien.* n. **3975**, d. d. 14 Ian. 1898, ad I, 1, declarat unicam genuflexionem esse faciendam a Ministro Missae privatae, quae iusta de causa et praevia licen-

tia celebratur in Altari expositionis Sanctissimi Sacramenti, *in plano* ante medium Altaris, quando transfert Missale a cornu Epistolae ad cornu Evangelii. — Item, ad I, 2: " Quando idem Minister ad Offertorium et purificationem ascendit ad Altare et descendit, tam ante ascensionem, quam post descensionem *in plano* genuflectere debet ". — Item, ad II: " Si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, Sacerdos in Missa privata, quando, defectu Ministri, transfert Missale a cornu Epistolae ad cornu Evangelii, et vicissim, non debet genuflectere, nec quando in Maiori Hebdomada transit a cornu Epistolae ad cornu Evangelii ad legendam Passionem ".

Super qua declaratione necesse est ut parumper immoremur; et animadvertimus, primam partem, de genu non flectendo cum Sacerdos transfert Missale, valere etiam in casu expositionis Sanctissimi: ratio enim est impossibilitas actum debita cum decentia ponendi, dum nec absque eversionis periculo id fieret, in suppedaneo permanendo, nec convenienter cum descensione sub illo, nec, quocumque in casu, absque admiratione adstantium; alteram autem, in hoc casu, non valere, eo quod regula rubricalis est, in accessu ad medium et in recessu, dum in suppedaneo sistitur, non esse genuflectendum, quando Sacramentum clausum est in Tabernaculo, sed tantum in transitu, et, vi peculiaris praecepti, ante incensationem Crucis, et, ob analogiam, post eamdem peractam; casus autem, de quo in dubio, non est de transitu, quia mora aliqua intercedit; sed cum agitur de Sacramento palam exposito, urget praeceptum genuflexionis faciendae tam in accessu ad medium, quam in recessu, unde secus patet esse dicendum: at cum mora nonnisi minima sit, autumamus unicam satis esse genuflexionem peragere. — Octavum De retum, *Plurium Dioecesium*, n. **4027**, datum 9 Iunii 1899, ad 1, decernit: " Diaconus et Subdiaconus dum ab uno latere in aliud transeunt, Sacramento non extante super Altari, semper genuflectunt et tantum in medio; Sacramento vero

extante super Altari, semper et tantum geneflectere debent in utroque latere. — Dum ab uno latere pergunt in medium; dum e medio ascendunt ad Altare aut vice versa: Sacramento extante super Altari, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt; excepto Subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad elevationem in Missa solemni de Requie genuflectere debet in medio tantum: Sacramento non extante super Altari, nunquam genuflectunt, praeter Subdiaconum, quando, accepta patena, vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et, facta genuflexione, ibi stat „. — Nonum in *Minoricen.*, n. **4048**, ad 5, die 24 Novemb. 1899: " Iuxta praxim Ecclesiarum Urbis, *in plano utroque genu* flectitur coram Sanctissimo Sacramento discooperto, post Missam solemnem, dum Celebrans et Ministri recedunt ab Altari ad scamnum in cornu Epistolae, ut ibi Celebrans exuat Casulam et Manipulum, induatque Pluviale, ac Ministri Manipulos deponant „.

Profecto hoc Decretum contradicit pluribus auctoribus, quos sub oculis habemus: Martinucci, De Herdt, Wapelhorst, De Amicis, Sillani, Baldeschi, et ipsi Gardellinio, in *Adnotat.* super Instructione Clementina, docendo genuflexionem *utroque genu in plano* faciendam in recessu ab Altari, dum omnes praefati auctores, facta *unico genu* reverentia in suppedaneo *per breviorem*, docent sacros Ministros ad scamnum accedere. Quid ergo? Decretum absque dubio observari debet, quia a suprema Auctoritate promulgatum, cui omnes obsequi debent, etsi gravissimi scriptores; de cetero, contradicentes antiquiores sunt eiusmodi praescriptioni; unde ius immutatum, seu potius noviter statutum, cum nullum in antecessum hac de re praeceptum fuerit, in recentioribus quaerendum est, qui obsequentes se illi ostendent. Ratio causalis seu occasionalis, in Decreto allata, est praxis Ecclesiarum Urbis, non tamen omnium, ut ipsi Romae commorantes scimus, verum illarum, quarum usum S. R. Congreg. placuit potius esse

servandum. Ratio autem finalis, seu intrinseca, est actus diversitas, ab aliis qui infra Missam complentur, dum ex alias Decretis, ut vidimus, in accessu et recessu praecipitur genu utriusque flexio in plano, et infra actionem unius tantum. Unde ad *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*... unius genu flexio indicatur, cum sessum itur a sacris Ministris, quod recentissimo Decreto confirmatum est, d. d. 12 Iulii 1901, in *Colimen.*, ad VI, quo ad dubium: " Cum Rubricae dicant, quod Celebrans et Ministri in Missa solemni pergere debent ad sedendum per breviorem, an permitti possit in Missa cum Sanctissimo Sacramento exposito per longiorem recedere in eundo ad sedilia? „ repositum fuit: " Serventur Rubricae „. Bene igitur actione Missae expleta, esto quod alia, sed distincta, sequatur, finalis reverentia debetur Missae *in plano* et *utriusque genu* flexione.

Decimum demum Decretum, titulo *Dubiorum*, 21 Novemb. 1893, n. **3814**, ad II, haec habet: " Num Canonici aliique Clerici publicam supplicationem per Ecclesiam agentes, si fiat elevatio SS.mi Sacramenti in aliquo Altari, genuflectere debeant? „ Resp.: " In omnibus Missis privatis, quae tempore piae supplicationis celebrantur, usus campanulae est omnino prohibitus. Si vero, quod fieri non debet, ex errore pulsetur, omnes ante Altare transeuntes ubi fit elevatio Sanctissimi Sacramenti, bini et bini unicum genu flectant, et piam supplicationem prosequantur „.

(23) Specialem considerat casum Instructio, de Sacerdote Missam planam celebrante, et S. R. Congregationis Decreti meminit, quo declaratur modus genuflexionis agendae, cum ante Sanctissimum expositum transit, dum aliqua difficultas ex eo oriri possit, in casu, quo Celebrans Calicem manibus gestet. Et quemadmodum ipse Sacerdos, eodem in casu, ante Tabernaculum transiens, non tenetur, Sacramentum *unico genu* veneraturus, caput aperire (*Ritus celebr. Miss. II, 1*), nec ad elevationem, aut administrationem fidelibus eiusdem

Sacramenti, nisi postquam genua flexerit, detecto capite, reverentiam facere (*ibid.*), sic caput aperire non tenetur in casu nostro, nisi pro capitis inclinatione facienda. Decretum quod citatur, ut in antiqua Gardelliniana Collectione prostat, huius est tenoris: " **Urbis.** Fuit dubitatum, quomodo se gerere debeat Sacerdos celebraturus, dum transit ante Altare, in quo sit publice expositum Sanctissimum Sacramentum: an post factam genuflexionem detecto capite, surgens debeat caput tegere, donec ad Altare pervenerit; an vero detecto capite iter prosequi, ob reverentiam tanti Sacramenti sic publice expositi, cum Rubrica Missalis Romani non videatur loqui de hac praecisa adoratione in casu, de quo agitur? „ Et S. Cong. rospondit: " Servandas esse Rubricas Missalis Romani, quae videntur innuere, quod post factam adorationem genibus flexis, detecto capite, surgens, caput operiat. Die 24 Iulii 1638 „. Sed en scopulum! Decretum hocce expunctum ex nova authentica Collectione fuit; quid ergo dicendum? an nullam amplius vim habere? Minime sane, cum Clementina Instructio recentius typis, in edenda Collectione, fuerit cusa, quam expunctum Decretum, nec tamen ulla modo immutata. Illud ergo: *s'insinua esserci Decreto*, significat: etiam *nunc* eandem esse S. Rit. Congregationis mentem, quam olim pandidit Decreto, quamvis opportunum iudicatum non fuerit in Collectione Decretum idem servare, quod vix taliter appellari potest; quaenam enim est vis illius dictionis: " Servandas esse Rubricas Missalis Romani, *quae videntur innuere*, quod post factam adorationem etc.? „ Haud decretiva profecto, uti patet. Recte igitur ex Decretis expunctum est, quod Decretum non est. Et merito nos dixisse autumamus, tunc mentem suam aperire tantum voluisse Sacram Congregationem, non autem aliquid decernere; unde concludendum est, etiam expuncto Decreto, et hodie traditam esse sequendam regulam. Sed praestat diligentiorem praxim insinuare: Sacerdos genuflectat prius utroque genu,

deinde detegat caput, biretum tradat ministro, aut saltem, manu per minimum digitum super bursam reposita, ante pectus elevatum teneat, adoret, caput rursus cooperiat, et demum surgat. Hac sane ratione, periculum eversionis sacrae, quam gestat Sacerdos, suppellectilis avertitur, quod haberetur, si in genuflexionis actu caput detegeret et cooperiret, uti materialiter sonant verba: *alzandosi lo ricopra.*

Quod vero tempus distributionis S. Communionis attinet, non debet Sacerdos genuflexus permanere donec perficiatur, etiamsi pauci fuerint communicandi, sed satis est, ut adorationem, ut supra, perficiat: ita Rubricam interpretatur Decretum, **2002**, in *Collen.*, datum die 5 Iulii 1698, ad 14. Similiter se geret si obvium habeat deferentem Sanctissimum Sacramentum. Tempore benedictionis cum Sacramento, idem faciet ac dictum est de elevatione, iuxta Rubricam.

(*Continuabitur*). I. B. M. c. M.

DUBIUM.

DE INDULGENTIA ALTARIS PRIVILEGIATI AN SEPARARI POSSIT AB APPLICATIONE SACRIFICI.

Sacerdos qui habeat privilegium personale altaris privilegiati, nec aliunde teneatur applicare Indulgentiam, potestne *pro uno* applicare Sacrificium, *pro altero* Indulgentiam?

Resp. Theoretice loquendo reponi potest affirmative. Ratio est, quia ita Indulgentia annecti potest Sacrificio, sicut aliis operibus, puta communioni. Iam nunc Titius communicans, nulla necessitate constringitur, ut pro eodem applicet Indulgentiam, pro quo applicat communionem; sed opus iniunctum alteri, Indulgentia illi adnexa applicari

alteri potest. Etenim cum Suarez *(Tom. 4. Disp. 53, Sect. 4. n. 3)* docet Cavalerius: " Quando iniungitur opus aliquod ad acquirendam indulgentiam pro defunctis, necessario quidem fieri debet, tamquam conditio fundamentalis Indulgentiae, sed postea necesse non est, quod applicetur illi, cui applicatur Indulgentia, nisi constet de onere huiusmodi applicationis; quia Indulgentia ex se est adaequata poenae, nec indiget superadditione alterius operis *(Tom. III, Cap. XIV, Decr. XI Capit.)* ".

Huic momento innititur et auctoritati Votum Consultoris super Decreto Indulgentiarum num. 348, quod in quaestione venit. Ait enim, superius citati auctoris verba referens: " Decisio pendet ex verbis Indulti. Si enim cantat: *qui pro defuncto Missam in tali altari dixerit, liberat animam eius etc.*, sacrificium et Indulgentia non possunt dividi, sed utrumque pro defuncto est applicandum; si autem *pro defunctis* in Indulto desit, applicatio solius Indulgentiae sufficit ad liberandam animam, et sacrificium cuilibet poterit applicari ". Etenim si vi Indulti applicatio sacrificii pro eadem anima, cui applicari debet Indulgentia, non est necessaria, tunc sacrificium consideratur tamquam opus iniunctum, a quo eadem Indulgentia separari potest. At si vi Indulti Sacrificium requiritur pro eadem anima, tunc pro ea applicandum est, et ab Indulgentia separari nequit.

Haec quidem speculative loquendo, sed si practice loquamur, aliter res se habet; eo quod generatim loquendo Summus Pontifex ita privilegium altaris concedit, ut et Sacrificium et Indulgentia separationem non videantur admittere. Referre praestat quae habet cl. Van der Stappen in suo opere *Tractatus de Indulgentiis* ad usum Seminarii Mechliniensis *(num. 15. De altari privilegiato)*. Hanc sibi proponit resolvendam quaestionem, quae est 6: " An separari potest applicatio Indulgentiae ab applicatione sacrificii? " Et sequenti modo ratiocinando resolvet: " In duo-

bus casibus separari non potest, nempe 1° quando ipsum Indultum ita fert; 2° quando suscepta fuit obbligatio celebrandi Missam privilegiatam. Extra hos casus separari posse videntur, ita ut uni defuncto applicetur sacrificium, alteri privilegium. In hoc saltem sensu conceptum est Votum Consultoris, quod Oratori communicandum mandavit S. C. Indulg. in *Tolosana* 31 Ian. 1848, n. 348. Attamen in praxi vix aut ne vix continget ut possint separari, cum Indulta, quibus conceditur privilegium, regulariter exigant ut hoc applicetur animae pro qua celebratur Missa. Id solet pro privilegio locali exprimi sequentibus verbis: *ut quandocumque sacerdos aliquis.... pro cuiuscumque Christifidelis anima... ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa.... Indulgentiam consequatur.* Eamdem regulam de applicanda Indulgentia animae pro qua celebratur, recentius adhuc declaravit S. C. Indulg. pro actu heroico caritatis per responsum 18 Dec. 1885. Ad quaesitum: *Utrum Indulgentia plenaria altaris privilegiati personalis 1° debeat a sacerdote, qui actum heroicum caritatis emisit, applicari pro qua Missam celebrat? Aut 2° possit applicari pro libito cuivis defuncto?* respondit ad primam partem *affirmative, hoc enim modo privilegium altaris conceditur a summo Pontifice;* ad secundam.... *provisum in responsione ad primam partem* „. Porro spectata ista regula quae hic expresse declaratur pro actu heroico caritatis, sed forte generalis iam est, expedit ut quoties quis vult Indulgentiam applicare alteri, quam illi pro quo celebrat, puta patri, matri etc. id faciat conditionate, v. g. si Ecclesia talem applicationem permittat *(Nouv. Rev. Théol. Tom. 10, p. 216, ac tom. 32, pag. 108 et seq. Beringer, p. 458)* „.

Hucusque cl. Van der Stappen, qui haec scribebat anno 1890. Sed quaevis impraesenti obscuritas iam sublata dicenda est per posteriores declarationes. Cl. Melata in perpulchra Opella *De Benedictione papali* agit sub fine satis erudite de hac eadem quaestione, referens Decretum, su-

per quod nostra versatur controversia, et commendans. Integrum refert Votum Consultoris; et postquam animadvertit Decretum et Votum nonnisi speculativum Dubium continere, concludit in iis mentem non reperiri S. Cong.nis Indulg., quae proinde ad praedictum Votum Oratorem remittit. Inde aperte demonstrat, Sacrificii fructus et Indulgentiam esse quidem *per se* distinctas res et separabiles, quia Indulgentia est ex potestate clavium, fructus vero Sacrificii ex ipso Sacrificio. Deinde invictis argumentis ostendit, fructus Sacrificii esse ex mente Ecclesiae omnino inseparabiles. Refertque argumentationem supracitati cl. Beringer, qui Decretum de altaris privilegio, actum heroicum emittentibus concesso, commentans ait: " Si generaliter Pontifices consueverunt concedere privilegium amplissimis et favorabilibus conditionibus, necesse esset admittere idipsum eos fecisse pro actu heroico, posito quod nulla in parte in documentis huiusmodi actum respicientibus, quaevis limitatio reperitur ". Nihilominus iam diximus in dicto privilegio separationem Sacrificii ab Indulgentia extra dubium excludi. Pluribus deinde cl. praefatus Melata auctoritatibus relatis, sic concludit: " Itaque, quidquid sit de quaestione speculativa, an scilicet Ecclesia potiusquam applicationi, simplici Missae celebrationi potuisset adnectere Indulgentiam, quae quidem quaestio inutilis non est, cum inservire possit ad declarandam naturam Indulgentiae altaris privilegiati, de facto retinendum est quod: Hoc privilegium Altaris privilegiati, ut bene definit S Alphonsus (*Theol. Mor. lib. II, n. 339*), in hoc consistit, ut ex Indulgentia, sive fructibus qui sunt in thesauro Ecclesiae, liberetur a purgatorio anima pro qua Missa in illo altari applicatur; et hoc vi potestatis clavium, quam habet Papa, applicandi Indulgentias, vivis quidem per modum absolutionis, defunctis vero per modum suffragii, sive solutionis ".

Quid quod, ex eodem auctore addere liceat, iam S.

C. S. Off. hanc quaestionem solverat d. 8 Iul. 1846 per decretum num. 1124? En quaesitum: " Quando aliquis Sacerdos Missam facit pro vivis ad altare privilegiatum, potestne applicare Indulgentiam pro aliqua anima in purgatorio detenta, quamvis illi non applicet principalem fructum Sacrificii? „ Iam audi responsum. " *Negative*, et dentur Decreta seu Constitutiones Apostolicae Summorum Pontificum Alexandri VII (22 Nov. 1662 et 21 Iun. 1667), Clementis IX (V. n. 112). et Innocentii XI praesertim, qui suorum praedecessorum doctrinas confirmans declaravit in Brevi sub die 4 Maii 1688 promulgato: *Quandocumque sacerdos aliquis Missam pro anima, quae Deo in caritate coniuncta ab hac vita migraverit, ad praedictum altare celebraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam impetrabit* „.

Recentius tandem Decretum S. Congregationis Indulg. exhibitam doctrinam certiorem, si fieri possit, reddit adhuc, quod et cl. noster Consulens refert in expositione dubii, et nos quoque hic referre veluti pro finali conclusione opportunum iudicamus. Est in *Squillacen.* et prima duo Dubia quaestionem prorsus dirimunt, tertium ulterius declarat. " Episcopus Squillacens huic S. Congr.ni Indulgentiarum sequentia Dubia enodanda proposuit:

I. An Indulgentia altaris privilegiati separari possit ab applicatione seu fructu Sacrificii, quando Sacrificium est celebrandum pro defunctis?

II. An eadem Indulgentia altaris privilegiati separari possit quando celebratur Sacrificium pro vivis, ita ut Indulgentia praedicta applicari possit pro defunctis ad libitum Celebrantis.

III. Quomodo intelligenda sit inscriptio, quae reperitur in aliquibus altaribus, huius tenoris: " Altare privilegiatum pro vivis atque defunctis? „

Et in Gen. Congr.ne habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 5 Aug. 1897, E.mi Patres rescripserunt.

Ad I. et II. Negative.

Ad III. Interpretanda est ut tam pro vivis, si in altari, de quo agitur, Missae Sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis intelligatur, si pro his S. Sacrificium applicetur, concessa plenaria Indulgentia: pro vivis ad modum iurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii.

Et facta per me Infrascriptum Card. Praefectum SS. D. N. Leoni Pp. XIII de his relatione, in audientia habita die 25 Aug. 1897, Patrum Cardinalium responsiones Sanctitas Sua ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congr.nis, die 25 Aug. 1897.

L. ✠ S. Fr. H. M. Card. GOTTI *Praef.*

† A. Archiepisc. Antinoen. *Secret.*

Sit ergo finalis conclusio: Sacerdos habens privilegium etsi personale altaris privilegiati, quamvis non teneatur applicare Indulgentiam, non potest applicare *pro uno* sacrificium, *pro altera* Indulgentiam; cum fructus Sacrificii et Indulgentia separari non possint ex voluntate Ecclesiae, nisi etiam ex ipsius altaris privilegiati natura.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Galliis.* **De sensu Decreti 3872 ad 2. circa festum SS. Nominis Iesu impedito, et consectariis.** In hoc Decreto legitur: " Festum SS. Nominis Iesu (quando occurrit cum festo Titularis Ecclesiae in Dominica II post Epiphaniam) transferatur ad diem 28 Ianuarii, nisi occurrat festum altioris ritus, vel aequalis sed primarium; quo in casu praedictum festum transferatur ad primam diem liberam non impeditam, iuxta Rubricas „. — Hinc quaeritur: Quando Dominica II post Epiphaniam occurrit cum festo Sancti Hilarii (die 24 Ian.) et consequenter, quando die 28 Ianuarii est Dominica, num transferri debeat festum SS. Nominis Iesu ad dictam diem 28 Ianuarii: 1° Si sit Dominica maior, ut Septuag. vel Sexag. 2° Si sit Dominica minor, nempe IV post Epiphaniam?

Resp. 1. Negative ad primum quaesitum. Ratio est, quia Decreta cum Rubricis sunt conferenda, si omnimoda perspicuitate non gaudeant. Iam nunc, posse duplex aliquod vel minus, vel maius, vel etiam II classis, occurrere cum aliqua Dominica maiori, esto II classis tantum, de quo fieret officium, nisi de Dominica maiori? Rubricae namque explicite docent Dominicas maiores I classis quodcumque festum excludere, et easdem Dominicas, II tamen classis, sola duplicia I classis admittere. Peculiare privilegium festo SS. Nominis Iesu tributum vult ut, quantum fieri potest, celebretur Dominica II post Epiphaniam, ut nimia dilatio vitetur inter ipsum et mysteria celebrata, cum quibus maximam relationem habet. Advertit nihilominus, non esse hoc festum prae-

ferendum festo potiori, nec aequali quod primarium sit. Atqui haec festa potiora, duplici tantum I classis excepto, si cum Dominica II classis occurrerent, et ipsa impedita manerent, quomodo ergo si Dominica II classis impedit potiora festa, non impediret inferiora? Hoc profecto non posset intelligi, ut proinde concludendum certo sit, si die 28 Ianuarii, in qua reponendum foret festum SS. Nominis, Dominica maior occurrat, de hac faciendum esse, et festum SS. Nominis alia die transferendum. Sit itaque certa tenenda norma: festum quod maius se excludit, alia quoque minora necessario impedit. Ergo Dominica maior impedit festum SS. Nominis Iesu, et hac cum interpretatione Decretum 3872 ad 2. intelligendum.

Resp. 2. Affirmative ad secundum. Ratio est, quia cum aliquod festum duplex est diei mensis affixum, semper fieri potest etsi in Dominicam communem incidat. Haec enim impedire non potest festa in seipsam incidentia, nisi sit aequalis ritus; in casu autem festum duplex supponimus. Verum enim est quidem, festum quodcumque impeditum non posse in diem Dominicam sine privilegio transferri, quamvis diei mensis sit affixum. At id accidit, quia lex diem translationis determinatum pro festis impeditis generaliter non statuit: ut si dies mensis, in quo festum reponendum foret, incidat in Dominicam, ad aliam diem amandandum. At in casu proposito dies translationis statuta est a lege, nempe dies 28 Ianuarii, et quasi vocari potest dies subrogata; consequenter in ea reponi iure potest, quamvis dicta dies sit Dominica. Brevi, dies translata, quando lege vel privilegio determinatur in mense *pro aliquo* festo, habetur uti occurrens: ut sicut Dominica non impedit festum duplex occurrens, ita neque huiusmodi translatum potest impedire.

II. *Ex eodem loco.* **De festo Tituli impedito non reponendo in die octava Corporis Christi.** Quando festum Titularis Ecclesiae occurrit cum festo Corporis Christi, cum

fixum illud sit, istud autem mobile, et reponi infra octavam nequit ob impeditos omnes dies, transferendum ne festum Titularis in diem octavam Corporis Christi, hac redacta ad ritum simplicem?

Resp. Negative. Quaestio proposita eadem est ac altera, quam in p. pr. numero pertractavit Doct. Piacenza, si hoc excipias, in illo actum esse de octava Ascensionis, in casu autem isto agi de octava Corporis Christi. Cum eadem proinde sit quaestio, eandem cogimur solutionem exhibere. Itaque iterare iuvet, ex nostra sententia, quam Rubricis et aliis Decretis cohaerentem iudicamus, occurrente festo patronali in festo Corporis Christi, cunctisque diebus infra octavam impeditis, illud in die octava Corporis Christi non posse reponi, haud obstante Decreto 3853, cuius aequa, ut credimus, interpretatio in praefata discussione a Doct. Piacenza exhibita est. Relegat adm. Rev. Consulens inibi discussa et resoluta. Brevi tamen aliquid innuere liceat, potiusquam repetere. Ita intelligendum Decretum 3853 diximus, ut festum impeditum tunc tantum possit in die sua octava reponi, quando haec dies octava non impediatur ab officio, quod ipsa octava die superius sit. Atqui officium in casu occurrens, nempe dies octava Corporis Christi, est superius die octava festi translati, nempe Tituli; ergo... Huius ratio patet, quia dies octava festi Corporis Christi nobilior est octava festi Titularis. Aliis verbis: dies octava festi non potest celebrari in die octava Corporis, quia haec illam impedit. Ergo de die octava Corporis Christi agendum est, et festum Titularis in primam diem proxime liberam transferendum.

III. *Ex Utino.* **De officio votivo pro festo ad libitum.** Utrum in diebus S. Canuti et S. Remigii, quorum festa ad *libitum* celebrantur, recitari possit officium votivum.

Distinguendum est; vel agitur de clerico singulari, vel agitur de Capitulo, seu Communitate religiosa. Si de clerico sermo sit, *ad libitum* eius potest recitare, vel officium S. Ca-

nuti, vel feriale; nihil enim in casu lex illi imponit sub praecepto; et dummodo ex tribus unum eligat et dicat officium, obligationi suae certissime facit satis. Nihilominus, si mentem Ecclesiae bene inquirimus, statim apparebit desiderium illius esse ut de S. Canuto, vel de S. Remigio potius officium recitetur.

Equidem, cur in Breviario illa officia retinuit, nisi ut saltem aliquando, recitentur, cum non impediuntur? Hinc stricta libertate electionis in casu admissa, nisi ratio aliqua aliud suadeat, melius est ut clericus officium Sancti *ad libitum* persolvat.

Si vero agatur, de Capitulo aut Communitate, diversimode respondendum est. Capitulum enim, ex generali indulto d. d. 5 Iulii 1883, acceptavit, vel non, semel pro semper, officia votiva. Si acceptavit, iam officium feriale eo die recitare nequit; si non acceptavit, item officium votivum non potest persolvere.

Suppono 1°. votiva officia acceptasse. In hoc casu *potest* adhuc recitare officium S. Canuti, aut S. Remigii, imo quodammodo *debet*.

Ratio est, quia acceptando officia votiva, Capitulum renuntiavit quidem recitationi officiorum ferialium, sed non officiorum S. Canuti et S. Remigii; itaque, licet non amplius assumere possit officia ferialia, loco votivorum, nisi venia petita a Sancta Sede, bene potest, iis diebus relinquere officium votivum, ut festum ad libitum celebret.

Potest procul dubio, sed imo summopere decet, et forsan *debet*, dico *forsan debet*; quia, si ante annum 1883 Capitulum illud consueverat officia S. Canuti et S. Remigii persolvere, haec consuetudo servari debet. Cum enim huiusmodi officia *ad libitum* nominentur, non ad singulas personas, sed ad collegium pertinet ius eligendi. Si ergo Capitulum usum officiorum *ad libitum* admisit, ut usum hunc deserat, non pertinet ad Calendarii redactorem, sed ad totum collegium. Melius itaque est ut, relicto officio votivo, Capitulum festum

agat Sancti *ad libitum*, hoc enim, ut diximus, est magis in votis Ecclesiae.

Praeterea, quando Capitulum officia votiva acceptavit, id egit ne officia ferialia recitaret; finis ergo acceptationis bene adhuc servatur, recitando officium *ad libitum*.

IV. *E Galliis.* **De Missa parochiali, officio conformi.** Anno 1901. p. 424 et seq. iudicium tulimus favorabile super doctrina, quae docebat, in Ecclesiis Galliarum consecratis Dedicationis festum esse *per se* Patrono, S. Martino, praeferendum; quamvis ratione feriationis Patronus praeferri posset. Admisimus tamen, in festo Dedicationis Missam cantari etiam posse de Patrono, iuxta Rubricas. Si nihilominus unus tantum in Ecclesia parochiali Sacerdos esset, cum ad Missam officio conformem, quia parochialem, teneretur, non posset Missam canere de S. Martino Patrono, cuius transferendum erat officium.

Haec nos diximus; sed in contrarium animadversionem sensu plenam egit cl. N. cui consequenter facere satis volumus. Ait itaque, si vera essent a nobis exposita, certe applicari deberent ad solemnitates in Dominicam sequentem in Gallia transferendas. Quo posito, cum vix decima Ecclesiarum parochialium pars alio, praeter Parochum, Sacerdote ditetur, Missa de translata solemnitate in quam plurimis haberi non posset, contra quod per saeculum circiter factum est. Adeo ut concludi possit, aut per totum elapsum saeculum fere omnes errasse Galliarum Ecclesias in Indulto E.mi Caprara interpretando, aut Parochos non teneri, sicuti Ecclesiae collegiales tenentur, ad Missam parochialem officio conformem.

Resp. Quamvis graviora ac certa subsint argumenta iudicandi Missam parochialem semper in antiquitate esse debuisse officio conformem, nihilominus res non adeo semper perspicua successu temporum habita est, sicuti in aprico fuit pro Missa conventuali. Si universos legas auctores ad rem

facientes, facile comperies, omnes plane convenire Missam conventualem semper esse debere officio conformem : de parochiali vero generatim silere. Attamen, sicut relative ad antiquitatem argui potest, ita quod praesentem disciplinam pertinet, negotium nulli discussioni subiicitur, parochialem Missam officio debere esse conformem.

Et sane, in primaeva antiquitate clerum ac fideles convenisse simul diebus dominicis ad christianos conventus exploratissimum est ; eo autem in tempore eadem erat Missa Conventualis, quae et parochialis pro populo, imo unica. Deinde fidelibus a clero, quod officii recitationem attinet, aliquo modo separatis, Missa conventualis pariter eadem ac parochialis, cui fideles assistebant, esse perseveravit. Tardius autem, Missam parochialem inter et conventualem distinctio facta est, et illam quae Conventualis erat, respondentem esse debere officio semper praedicatum est, de parochiali vero silentium factum est. Verum, cum parochialis Missa illa sit, quae iure officii pars, non minus ac Conventualis est, eam debere quoque cum officio convenire, indubie tenendum est : ut qui non amplius officio fideles intersunt, Missae saltem intersint, quae ei respondeat, cum eius sit pars potissima, et totius Ecclesiae nomine fiat. Hinc et impraesenti Missa parochialis, et ipsa quasi-conventualis iure dicitur, cum simpliciter conventualis nomen Missae chorali remanserit. At severe loquendo Missa parochialis aut maiori aut indubie aequali iure conventualis meretur nomen, seu antiquitate inspecta, seu etiam praesenti disciplina, vi cuius ad totius saltem populi conventum pertinet.

Quidquid vero sit, non potest nunc controverti : Missam parochialem officio diei esse debere conformem, quando peragenda sit cum applicatione pro populo (*Dec. 3887*). Haec certa lex, satisque perspicua.

Iam nunc si hoc Decretum simul conferas cum praesenti Galliarum Ecclesiarum consuetudine, hoc resultat, et

Missam parochialem pro populo applicandam debere cum officio convenire, et praxim praefatam vix amplius servari iam posse. Haec, quantum videmus, certa omnino sunt, et non dubitanda.

Ergone errasse dicendae sunt per integrum saeculum omnes parochiales Galliarum Ecclesiae, in quibus sive unus, sive plures essent Sacerdotes, Missa de solemnitate translata, post Indultum E.mi Caprara, applicata est pro populo in die dominico, et non Missa cum officio diei conveniens? Absit a nobis, ut affirmative praefatae petitioni respondeamus; imo negative respondemus. Ratio sequens est. Obligatio Missae parochialis est personalis et realis, hoc est, et a Parocho et pro populo applicari debet. Nihilominus applicatio longe graviorem importat obligationem, quam illius cum officio convenientia. Adeo ut, si ab applicatione nonnisi ex causa canonica Parochus dispensari possit, quo tamen in casu alium sufficere Parochus sibi debet, a convenientia cum officio minus gravis causa dispensare valet, dummodo tamen eadem Missa conveniens cum officio in Ecclesia non desit. Hoc posito, in quo facile conveniunt omnes, sequenti modo argumentamur. Aut agitur de Ecclesia parochiali, plures habente Missas, aut de Ecclesia unam tantum Missam habente. Si primum, rationem solemnitatis translatae gravem iudicamus causam, ex qua Parochus a convenientia Missae cum officio dispensetur. Decens enim omnino est, ut Rector Ecclesiae praecipuam solemnioremque celebret Missam, quamvis ab officio discordet, dum alius interim Sacerdos Missam cum officio convenientem celebrabit. Ipse tamen Parochus Missam suam pro populo applicabit; potest enim, ergo debet, cum applicatio parochialis Missae, personalis sit et in hoc nullum inconveniens extat. Si alterum, et hic nodus quaestionis est, quod praeteritum tempus attinet, reponimus bene Parochos Ecclesiarum Galliarum excusari posse, quin iidem errasse dicantur in Missa de translata solemnitate appli-

canda pro populo, quin alia cum officio conveniens celebraretur. Quia ad hanc obligationem Missae parochialis, cum officio convenientis, tunc temporis amplius non attendebatur. Eoque magis, quia eadem Missa, quamvis de solemnitate translata et ab officio diei discordans, iure considerari potuit cum eodem officio conveniens, quippe quae a populo audienda erat in Ecclesiam conveniente.

Hisce tamen haud obstantibus, cum impraesenti S. R. C. in vigorem restituerit antiquissimam Ecclesiae disciplinam, ex qua Missa, sicut conventualis, ita et parochialis esse debet cum officio conveniens, vel saltem, iusta data causa, Missa eiusmodi in parochiali Ecclesia non desit, praxis contraria amplius in praesenti sustineri vix potest.

Diximus et iteravimus: *vix potest;* quia ratio consuetudinis saecularis esse talis fortasse potest, ut S. R. C. ab ea servanda deturbare nolit Galliarum Ecclesias.

Hucusque exposita si cl. N. perpendat, sicuti reliqui, quorum interest, censemus, eos sibi in animum inducere, ita et non aliter se habere negotium, et Ephemerides iure quod tenuérunt tenuisse ac docuisse.

V. *Ex Hispania.* **De benedictionis ritu ab Archiepiscopo impertiendae ante Crucem suam.** Circa benedictionem in fine Missae pontificalis ab Archiepiscopo dandam, Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 25 sic se habet: " Si vero erit Archiepiscopus, vel alius Crucem ante se habens, versus ad illam sine Mitra, dabit integram benedictionem, incipiens ab iis verbis: *Sit nomen Domini benedictum.* Iam vero hoc intelligendum ne est tantum dum Archiepiscopus celebrat in altari ubi SS. Sacramentum non asservatur, an etiam ubi asservatur? „ Videntur enim in primo sensu illa verba Caeremonialis usurpanda esse; nam haec dispositio respicit Cruci reverentiam, ob quam Archiepiscopus versus ad illam, id est ad Crucem, incipere debet: *Sit nomen.....* Sed, si in altari reconditum sit SS. Sacramentum, huic maior reverentia de-

betur, ac proinde non terga, sed faciem ad illud vertere debet, dum cantat: *Sit nomen*..... usque ad benedictionem exclusive.

Resp. In casu proposito standum omnino est Caeremoniali Episcoporum. Primo quidem, quia functiones in Collegiatis et Cathedralibus Ecclesiis celebrari debent in altari in quo non sit SS. Sacramentum adservatum. Imo in eodem Caeremoniali *(lib. I, c. 12, n. 8)* legitur: " Quod si in altari maiori, „ vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum (SS. Sacra- „ mentum) reperiatur, ab eo altari in aliud **omnino** transfe- „ rendum, ne propterea ritus et ordo *Caeremoniarum,* qui in „ huiusmodi Missis et officiis servandus est, turbetur „. Itaque exulat omnino ratio ab inquirente exhibita, ut Archiepiscopus benedicens ad crucem suam se vertat.

Secundo vero, item nihil immutandum est, etiam in casu, quo aliqua ex causa SS. Sacramentum in altari, ubi Archiepiscopus celebrat in pontificalibus, adservetur. Ratio est, quia crux Archiepiscopalis est signum iurisdictionis et honoris ipsius Archiepiscopi, et licet eodem prorsus cultu veneranda sit, sicut crux in altari, nihilominus quando Archiepiscopus benedicit solemniter, vertere debet se ad populum, in conspectu enim habet crucem suam, in cuius obsequium, capite aperto, benedictionem impertitur, in nomine Christi qui pendet ex ea.

Neque valet opponi, quod in casu terga vertit benedicens SS. Sacramento in tabernaculo clauso, quia nulla Rubrica id vetat; imo aperte praescribit, non tantum Episcopo, sed simplici quoque Sacerdoti celebranti, ad *Orate fratres* et ad benedictionem in fine Missae, ut vertat se ad populum, et circulum compleat, licet in tabernaculo SS. Sacramentum existat; ergo stat lex Caeremonialis Episcoporum, et adimplenda.

VI. *E. Neapoli.* **Quale e duobus festis Dolorum Deiparae et S. Crucis D. N. esse debeat Titulus Ecclesiae.** Duo ce-

lebrantur festa Deiparae sub titulo Septem Dolorum, feria VI post Dominicam Passionis, et Dom. III septembris, eodem sub ritu in utroque casu. Hinc quaeritur, si Deiparae dicto sub titulo sit Ecclesiae alicuius Titularis, quodnam ex dictis duobus festis celebrari debet sub ritu dup. I cl. cum octava, prout convenit Titulari? Idem quaeritur circa duo festa SS. Crucis D. N.

Resp. 1. Festum Dolorum, quod feria VI post Dom. Passionis recolitur, minus congruit, ut Titulare sit festum. *a)* Etenim Decretum *Urbis et Orbis* d. d. 18 sept. 1817 explicite notat, eiusmodi festum esse veluti Commemorationem Deiparae, cuius anima gladio transfixa fuit. *b)* Praeterea ratione mysteriorum Passionis Christi, uti idem Decretum notat, quae tunc temporis recoluntur, Ecclesia in tristitia versatur et luctu. *c)* Arroges dictum festum considerari nunc potest quasi mysteriorum Passionis Christi complementum: non enim convenit oblivisci Compassionem.

Almae Virginis, dum Passio Christi recolitur, licet autem Commemoratio haec Dolorum sit universalis, et mysteriorum Commemoratio sit particularis, vix autem aliquam reperies Ecclesiam, quae hanc non recolat. *d)* Hisce de causis summus Pontifex Pius Pp. VII aliud de his Doloribus instituit festum pro universa Ecclesia, hoc est Dominica III septembris, seu festum Septem Dolorum, Ordini servorum B. M. Virginis concessum, ad universam extendit Ecclesiam. *e)* Hoc proinde veram habet rationem festi, quod pro festo Titulari maxime recolendum convenit, sicuti uti solenne recolit praedictus Ordo Servorum B. M. Virginis. *f)* Denique, si feria VI Passionis festum Titulare celebraretur, non posset cum ea, quae decet, solemnitate recoli, octava enim ratione temporis illam prohibentis privaretur. *g)* Omnis ergo ratio suadet, ut pro festo tituli recolatur festum Dolorum, quod Dominica III Septembris occurrit.

Resp. 2. Duo festa S. Crucis Domini, sub diverso reco-

lenda ritu in universa Ecclesia, duo diversa quoque mysteria constituunt. Primum, quod die 3 Maii agitur sub ritu dup. II classis, respicit Inventionem S. Crucis per S. Helenam Constantini matrem, alterum respicit S. Crucis exaltationem, die 14 sept. recolendam sub ritu dup. maiori; et institutum videtur, uti ait A. Carpo (*Bibl. Lit. pars 4, n.* 180) in memoriam visionis Constantini, cum nimirum Crux, vel potius Monogramma Crucis illi apparuit. Quibus positis, constare certo debet, in cuiusnam ex duobus mysteriis honorem Deo dicata sit Ecclesia: ut si in honorem Inventionis istud, si in honorem Exaltationis, hoc festum pro Titulari sumendum sit. Huiusmodi autem festum sub ritu dup. I cl. cum octava, uti Titulari convenit, celebrabitur.

VII. *E Praga.* **De occursu inter duo festa duplicia I classis.** Calendarium perpetuum in usum Cleri Bohemiae sic se habet.

Aprilis 23: S. Adalberti Ep. M. Patroni Regni Dupl. 1. cl. cum octava.
„ 24. S. Georgii M. Dupl. (fix. ex hest.) Comm. Oct.
„ 25. S. Marci Ev. Dupl. 2. cl.
„ 26. Ss. Cleti I. et Marcellini I. Pp. Mm. Semidupl. Comm. Oct.
„ 27. S. Fidelis a Sigmaringa M. Dupl. (fix. e 24 huj). Comm. Oct.
„ 28. S. Pauli a Cruce C. Dupl. Comm. Oct. et S. Vitalis M.
„ 29. S. Petri M. Dupl. Comm. Oct.
„ 30. Dies Octava S. Adalberti Ep. M. Dupl.
Maii 1. Ss. Philippi et Iacobi Apost. Dupl. 2 Cl.

Nonne ex Decreto N. 2319 Reliqua Dubia ad 1 *in Ecclesia cuius Titularis est S. Georgius M.* Calendarium immutari debet:

Aprilis 23. S. Georgius M. Dupl. 1. Cl. c. Octava.
„ 24. S. Adalbertus Ep. M. Patr. Regni Dupl. 1. Cl. c. Oct. etc.

Aprilis 30. Dies Octava S. Georgii M. Comm. Oct. (S. Adalb.).

Maii. 1. Ss. Philippi et Iacobi Apost. Dupl. 2. cl. Comm. Diei Octavae S. Adalb. M.

Procul dubio immutari debet, iuxta citatum decretum n. 2319. Ratio est, quia S. Adalbertus pro regno Bohemiae non est patronus principalis qui recolatur cum festo fori, nam cum feriatione celebrantur ibi S. Wenceslaus et S. Ioannes Nepomucenus; ergo licet gaudeat ritu 1 classis cum octava, festum S. Adalberti pro ecclesiis S. Georgio dicatis est minus nobile. Vide, si lubet, quod docuimus in *Ephemeridibus liturgicis* (anno 2° pag. 616); ibi enim distinguenda esse probavimus duplicia primae classis, in tribus ordinibus. Ad 1^{um} ordinem spectant festa 1 classis universae ecclesiae, nunc excepto Ss. Cordis Iesu; ad 2^{um} ordinem pertinent, Dedicatio et Titulus propriae ecclesiae, ac Patronus principalis loci, qui cum feriatione celebratur; ad 3^{um} denique alia quaecumque duplicia 1. classis ex gr. Dedicatio Cathedralis extra ipsam, Patronus regni, Titulus alienae ecclesiae etc. si quae habentur.

Atqui in casu nostro pro ecclesiis S. Georgio dicatis, habetur eadem die occursus inter S. Georgium dup. 1. classis 2. ordinis, et S. Adalbertum duplex 1 classis 3 ordinis; ergo non istius, sed illius festum est nobilius, ac proinde die 23 Aprilis, illis in ecclesiis agendum est de S. Georgio, et in crastino de S. Adalberto; et demum die 30 Aprilis octava S. Georgii, ac 1. Maii festum SS. App. cum. comm. diei octavae S. Adalberti.

Neque valet opponi usus qui invaluit per multos annos in aliqua ecclesia S. Georgii celebrandi festum S. Adalberti die 23, et s. Titularis die 24, quia quod contra legem ab anno 1863 factum fuit alicubi, progressu temporis sanari non potuit, nisi audita S. R. Congregatione. Haec enim, si opportunum videbitur, poterit concedere, dato con-

cursu populi in die 24 Aprilis, quod tali die celebretur festum S. Georgii.

Nos tamen, si licet nostrum sentiendi modum exhibere, mallemus ut leges Liturgicae in casu omnino observarentur, celebrando S. Georgium sua die 23, et in crastino S. Adalbertum.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Galliis.* 1. Posse Episcopum ordinantem alium a Nocturno diei imponere Diaconis et Subdiaconis, exploratum est ex responso ad II Decreti 4042. Pro Nocturno autem *talis diei*, si eo se exprimat modo dictus Episcopus, intelligi debet, ait idem Decretum ad I, vel *Nocturnus ferialis, vel primus festi*, aut *Dominicae, prouti Ordinatio in feria, festo,* aut *Dominica* habita sit. Quae se exprimendi ratio, ni fallimur, aperte significat, recitandum esse in casu Nocturnum vel de feria, vel de festo, vel de Dominica, secundum quod vel de feria, vel de festo, vel de Dominica agitur. Quid autem Nocturnus sibi velit, satis scientia liturgica indicat, nempe relativos Nocturni psalmos cum suis antiphonis (*Confer. Ephem. Liturg. arr. 1897, p. 318 III*).

2. Nomen *Iesu,* quod habetur in Cantico Habacuc, non est considerandum uti *proprium*, sed veluti *appellativum;* idem est enim ac *Salvator,* ut dicat. " in *Deo salvatore* meo ". Caput ergo non inclinandum, cum ad *Iesum* Christum nullo pacto referatur.

Nihil interest, si in antiphona, ex praefato Cantico desumpta, ad *Iesum* Christum referatur, sicut non interest nomen *Mariae in Communio* Missae de Assumptione ad Deiparam referri, quod loquatur de sorore Lazari.

3. Non credimus convenire, ut *Respons. Non intres, Li-*

bera, dicantur vel canantur super defuncti cadavere, quando Sacramentum est solemniter expositum, quamvis velo tectum. Tegitur enim pro aliqua necessitate, uti pro concione, ex. gr. habenda; sed revera expositum est, et officia pro defunctis fieri non debent.

4. S. Rochus, in casu, est vere Titulus Oratorii publici, in quo non celebraretur S. Ioachim, si clerus aliquis esset. Est ergo per accidens, quod celebretur Titulus in casu per solas Missas, qui deberet fieri cum integro officio. Ergo etiam Missae sub ritu duplici primae classis celebrabuntur, licet S. Ioachim occurrat, de quo illa in Ecclesia non debet fieri, est enim duplex tantum secundae classis, cui S. Rochus in casu praevalet.

5. Biretum quod Canonici, quibuscumque privilegiis ditati, etiam deferendi vestem violaceam, vel rubeam, vel Cappam magnam eiusdem coloris, gestare possunt ac debent, solius coloris nigri, nunquam diversi coloris, sive rubei, Cardinalium proprii, sive violacei, proprii Episcoporum, esse potest. Est certa lex, nullique discussioni obnoxia.

6. Amictum induendum esse super Rochetum aliqui dicunt. Id oritur ex gen. Rubrica *(Rit. serv. in celebr. Miss. tit. I, n. 2)*, quae dicto sensu loquitur, si agatur de Praelato saeculari, sicuti loquitur de superpelliceo, si agatur de simplici Sacerdote. At cum subiungat: *si commode haberi possit*, hinc dicta Rubrica haud praeceptivum, sed facultativum sensum habere, Doctores communiter docent: unde generaliter non servatur.

II. *Pro Catana.* Color veli humeralis in benedictione Sacramenti adhibendi, quae post Missam vel aliam functionem habetur, iuxta romanum ritum, albus, nempe Sacramenti proprius, semper esse debet: quamvis rubeus vel viridis vel violaceus, nunquam tamen niger, aliorum paramentorum color esse possit. Est certa veritas lege firmata, neque ab illa licet recedere.

III. *Pro Rucupis.* 1. Electioni vel Coronationi Summi Pontificis aptari nequit Missa de Cathedra S. Petri. Si Missa in anniversario electionis aut consecrationis Episcopi non est votivis accensenda, multo minus inter votivas computari potest Missa, de Cathedra S. Petri, uti ex Missali post Epistolam abunde constat. Si ex devotione recitari velit, permittente ritu, Missa pro Summo Pontifice, quod optimum profecto est, Rubrica servari potest ac debet ante Missam votivam de Angelis posita.

2. Quando post benedictionem novae Ecclesiae dicitur vel canitur Missa, haec de tempore vel de Sancto esse debet, iuxta occurrentiam; ita Rubrica docet Ritualis *(post bened. novae Eccl.)*. Ergo haec Missa, cum ex occurrentibus, sit, harum normam sequitur; et proinde tam commemorationem Dominicae admittit, quam huius Evangelium in fine.

3. Dari certe potest casus, ut commem. Dominicae fiat in Missa, et Dominicae Evangelium non legatur in fine, uti ex. gr. si Missa votiva lecta ex privilegio speciali, permitteretur in Dominica. Haec Missa plures per se ferret Orationes, ergo et Dominicae; sed Evangelium de more legeretur Sancti Ioannis, ut in votivis omnibus.

4. Missam de festo cantari, aliquo defuncti cadavere praesente, non credimus inconveniens, si cadaver ex necessitate in Ecclesiam deferri debuit, quamvis sit Dominica aut festum, non tamen ex solemnioribus, cum id per accidens sit. Aliunde, num Missae omnes, privatae et cantatae, de festo omittendae erunt, quia cadaver est praesens? Quid nimis est: particeps melius erit et defunctus Sacrificii. Verum caveatur ne cadaver sit ante Altare in Quo solemnis Missa celebratur. Num nihilominus Dominicis et festis conveniat cadaver habere in media Ecclesia expositum, cum removeri ad aliquam partem queat, ipse adm. Rev. Consulens dicat. Quidquid sit, nullo id credimus Decreto prohibitum, etiamsi Sacramentum sit expositum: hoc tamen minus decens iudi-

camus, et nunquam permittendum, si expositum sit pro Oratione Quadraginta Horarum.

5. Cadavere parvuli praesente, Missa defunctorum prohibetur, etsi pro adultis fiat (Decr. 1588 ad 5). Quasi autem in fraudem legis eiusmodi Missa cani videtur, quod cum pro parvulo sit prohibita, pro consanguineis applicatur. Ceterum parvulorum cadavera neque exponi in Ecclesia deberent, cum sileat Rituale, et ratio deest, ex qua adultorum cadavera in media Ecclesia exponuntur.

IV. *Pro America.* 1. Usus involvendi Patenam purificatorio, sicque involutam tradendi Subdiacono, qui eam de more sustineat in Missa solemni, probari nequit. Namque *a*) non est ex Rubricis; *b*) nihil significat; *c*) novitatem sapit.

2. Usus adhibendi purificatorium circa nodum pyxidis, pro communione fidelium, vel ad frigiditatem cavendam, vel ad abstergendos digitos, nequit absolute probari, ob rationes in Dubio 1. mox allatas; et rationes allegatae nulla sunt consideratione dignae. Ceterum, miramur quod digiti abstergantur cum purificatorio, qui sacra tetigerunt et tangunt.

V. *Pro Cork in Hibernia.* 1. Nil vetat, quod in vitris Ecclesiae fenestrarum, maxime quae Organis circumstant, pingantur imagines *Iubal*, *Miriam*, *Theman*, *etc.*, de quibus legitur in Veteri Testamento, quod fuerunt musicorum instrumentis addicti.

Non enim omnes imagines in parietibus, in cornicibus, et etiam in vitris Ecclesiarum, semper ponuntur ad cultum; bene vero ad ornatum.

2. Rubrica Ritualis Romani est explicita; tit. VI, c. 3, n. 5, quo in loco, post Orationem *Absolve*, dicendam absoluto Cantico *Benedictus*, non ponuntur ℣℣. consueti, sed statim ac Chorus responderit *Amen*, incipit Missa et cantatur Introitus *Requiem aeternam* ut innuit sequens Rubrica *n. 6.*

Quod si, aliqua ex causa, officium dividatur a Missa, tunc profecto, post Orationem ad *Benedictus*, dicuntur de

more ut in Vesperis ℣℣. *Requiem aeternam* et *Requiescant in pace.*

Hoc aperte decernit alia Rubrica, tit. VI, c. 4, n. 6.

VI. *Pro Bono-Aere.* Si Presbyter ex visus infirmitate multis fidelibus administrare in Missa Eucharistiam nequeat, ita rem disponat, ut alius eum eodem tempore adiuvet. Id licet. Verum Eucharistiae distributio continuari non potest, si Celebrans ab eadem distributione cessaverit; id enim nimiam fert irreverentiam Sacramento. Vel simul communionem distribuant, vel, altero cessante, cesset et alius, ut continuetur Missa, aut potius fideles in alio altari communicent.

VII. *Pro Hispania.* Ex generali Decreto 4025 ad V. Titularis Oratorii Seminarii festum sub ritu dup. primae classis cum octava celebrandum est, si consecratum vel solemniter benedictum Oratorium fuerit. Ex Decreto 2980 ad 1 et 2, seu alumni, seu Professores Seminarii ad Horas canonicas obligati, inibi intellige degentes, neque alteri Ecclesiae addicti, tenentur sequi Calendarium ipsius Seminarii. Si ergo non degant Professores in Seminario, sed alibi, neque ii ad Seminarium, neque Seminarium ad ipsos pertinere dicendum est, proindeque non debent nec possunt dictum festum recolere.

VIII. *Pro Utino.* Festum S. M.ae Magdalenae de Pazzis est certe, pro Italia, rit. dup.; sed Decretum a Carpo citatum non fuit insertum in Collectione Decretorum, uti mos est. Hinc Dioecesis Utinensis dictum festum sub ritu duplici recolere debet. Ratio in contrarium allata, quam ex prudentia silemus, nihil valet, sed res attribuenda est: prima vice, errori contra voluntatem; secunda vice, inadvertentiae.

IX. *Pro Sinis.* Decretum 2042 decernit festum S. Familiae excludere commemorationem festi Desponsationis in concursu. Item Decretum 3929 ad 2 definit in suffragiis non esse faciendam commemorationem de S. Maria, facta com. S. Familiae Titularis. Ergo in primis Vesperis festi Purificationis B. M. Virginis omittendam iure credimus comme-

morationem de die octava festi S. Familiae, quae in suis secundis Vesperis cum illo festo concurrit. Quamvis enim Purificatio mysterium respiciat, respicit nihilominus Deiparam et de ea est festum: ut consequenter merito *bis in idem* haberi dici possit.

X. *Pro Neapoli.* S. R. C. decernit: Ut Episcopus Ecclesiam circumeat forinsecus aspergendo parietes. " Si nihilominus ob aliquod impedimentum eiusmodi circuitio fieri nequeat, Episcopus se gerat meliori modo quo possit, nihil tamen de reliquis caeremoniis et ritibus praescriptis omittens (*n. 2852*). „

DECLARATIO

SUPER SENSU DECRETI GENERALIS DE ORATORIIS SEMIPUBLICIS

Illustris Ephemeris " Monitore Ecclesiastico „ tenet et docet, Oratoria privata, posita conditione ut numerus aliquis fidelium ad illa accedat pro audienda Missa, ab Episcopis Ordinariis in semipublica transformari posse. Contrariam nos sustinuimus et sustinemus sententiam, ita ut sensus a praefata Ephemeride generali Decreto, particulari in *Romana* posito, attributus, impossibilis sit.

1. Decretum in *Romana,* sensum habet *declarativum,* non vero *extensivum;* ergo ad illa tantum Oratoria applicari potest, de quibus verba facit generale Decretum. Atqui generale Decretum loquitur tantum de Oratoriis pertinentibus ad Communitates, vel similibus, excluditque explicite illa quae ad personas particulares, vel familias pertinent, qualia sunt Oratoria privata. Ergo...

2. Ipsum in *Romana* Decretum, Oratoria privata aperte excludit; quod verba faciat de quibuscumque fidelibus, qui

accedant ad *praedicta Oratoria*. Atqui praedicta Oratoria sunt illa, de quibus generale Decretum verba fecerat, nempe Oratoria, quae vel ad Communitates pertinent, vel illis similia sunt, non vero privata. Ergo...

3. Praesumere non licet, ut Decretum particulare, uti in *Romana*, per se *declarativum*, generalis, quod declarat, possit esse *destructivum*. Atqui sensus Decreti generalis est, declarare Oratoria, quae uti semipublica haberi debent: haec autem sunt, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen non fidelium omnium, nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius Communitatis vel personarum coetus inserviunt. Ergo, si Oratoria privata in publica, quacumque conditione posita, transformare possunt Ordinarii, actum est iam de Decreto generali.

4. Superiori inferiori, uti Ordinario, non licet immutare, ampliare, extendere, perpetuare Indultum Superioris maioris, Summi Pontificis, sine explicita et certa facultate. Atqui Indulta Oratorii privati a Summo Pontifice conceduntur pro determinatis personis, ut plurimum ad tempus et pro una Missa; Ordinarii autem Oratoria privata in publica transformantes, eiusmodi immutarent Indulta Pontificis, ampliarent, extenderent, perpetuarent, nulla habita limitatione, quod personas, quod tempus, quod Missas attinet. Id vero illis fuisse concessum, nec perspicue nec certo constat, imo omnino constat oppositum. Ergo..

5. Argumentum ex Oratorio Romano desumptum, de quo illustris Ephemeris " Monitore Ecclesiastico „, nullius prorsus momenti est. Neque enim illud privatum erat, neque semipublicum, sed potius publicum; quippe quod vix erat constructus pro Oratorio locus, in praedio erat, domini ius cesserant adeuntibus, externaque patebat omnibus ianua.

6. Posita facultate, in Ordinariis, privata Oratoria in publica transformandi, graviora oriuntur consectaria contra

disciplinam Ecclesiae. Namque facillime continget, ut duo, tres, vel quatuor pluresve fideles Oratoria privata audituri Missam adeant, quod commodius sit, quam ad Ecclesiam paroeciae pergere. Domini loci urgebunt, ut Ordinarius semipublica instituat, sive in fidelium utilitatem, sive in propriam. Oratoria semipublica multiplicabuntur, et de Ecclesiis solitudo fiet. Neque obstat, potestatem esse Ordinariis in aedificationem, non in destructionem; quia graviora illos cogere momenta facile possunt, ut vel inviti transformationem agant.

7. Quid de confusione fidelium, potius quam Ecclesiam, Oratoria privata conversa in publica quaerentium ad satisfactionem? Quod alter instituit, alter ne Ordinarius Oratorium publicum destruere poterit? Si negative, inconveniens succrescet; si affirmative, augebitur perturbatio. Quomodo ius istud intendere S. R. C. potuit, nullis coarctatum limitibus? Quis sapiens, et haec intelliget?

8. Quid denique de iniuria, quae irrogatur Pontifici? Oratorium concedat Pontifex privatum, ad quinquennium, ad decennium: sufferet ne, ut Ordinarii destruant, quod Ille aedificavit? Seu potius, ut de concesso a Se Oratorio privato, publicum, imo Ecclesiam, Ordinarius efformet, Illius quasi auctoritatem irridens vel parvipendens, aut certo velut in nihilum redigens? Effectibus enim perpensis, inter semipublicum publicumque Oratorium, vel Ecclesiam, parum vel nihil discriminis intercedit. Quid ad haec?

9. Hisce omnibus, aliisque fortasse momentis et inordinationibus perpensis, quae considerari possent, arbitramur a nostra sententia non esse recedendum, et quae illustris Ephemeris " Monitore Ecclesiastico „ defendit, non sustinendam. Interim et nos iudicium nostrum competenti Auctoritati subiicimus.

APPENDIX

E Sacra Poenitentiaria.

I.

E.me Princeps.

Titius aegrotans opus habet ieiunii diebus, non solum ut pluries manducet, sed etiam ut vescatur carnibus; posset ne *simul* manducare pisces?

Affirmative iudico. Con.gtio S. Officii (*23 Ian. 1875*) obligat *ad non permiscendas epulas* illos quoque, qui *carnes sumunt vi indulti*, non solum eos *qui ieiunant:* memorat Decretum 24, vi cuius etiam qui excusanti *ab unica comestione propter impotentiam vel laborem* carnes edunt *vi indulti*, et proinde tenentur *ad non permiscendas epulas.* Non loquitur de iis qui *carnes* edunt propter morbum; hinc ius tribuit supponendi vel opinandi, quod si carnes edantur non vi indulti, non teneantur *ad non permiscendas epulas.*

Haec opinio est explicita Ballerini-Palmieri, Op. Mor. v. II, tr. VII, n. 26 (Edit. II, p. 797), Génicot (Prof. Lovaniens.), v. I, n. 444 (Edit. II), D'Annibale, v. III, n. 138 (Edit. III), Bucceroni Instit., v. I, n. 1607.

Provolutus in osculo sacrae Purpurae D. 13 Dec. 1898.

D.nus Filius in X
N. N.

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, respondet: *Oratorem sententiam auctorum, quos citat, tuta conscientia sequi posse.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 9 Ianuarii 1899.

B. Pompili *S. P. Corrector.*

II.

Statuta archidioecesis Mechliniensis et dioecesis Tornacensis haec habent:

1. Nemo, praeter confessarium tum ordinarium, tum extraordinarium, sacramentalem confessionem religiosarum quarumcumque

in communitate viventium, in monasterio valide excipere potest absque praevia Ordinarii facultate.

2. Monialium quae per aliquot dies extra monasterium versantur, confessiones audire potest in ecclesiis, etc., quilibet confessarius pro utroque sexu approbatus.

Ita, ad litteram statuta Tornacensia Mechliniensia autem fere idem sonant, nisi quod, in altero articulo, pro *per aliquot dies*, ponunt: *ad tempus*.

His positis.

Titius ab Episcopo Tornacensi litteras accipit, quibus approbatur ad confessiones excipiendas *personarum utriusque sexus, non tamen religiosarum*.

Dum in publica ecclesia confessarii munere defungitur, fidelibus reliquis se adiungit *Soror* quaedam, ut aiunt, pertinens ad Communitatem civitatis in qua Titius excipit confessiones, sed ad horam egressa e suo monasterio ad aliquod negotium componendum. In pluribus enim Institutis, integrum est Superiorissae facultatem facere exeundi per diem. Titius, audita confessione, absolvit sororem illam.

Postea autem dubitare coepit utrum valide impertierit absolutionem, an contra, defectu iurisdictionis, nulla sit haec absolutio. Cum autem huiusmodi casus facile iterari possint, et, pro valore vel nullitate talis sacramentalis iudicii, variare debeat officium inquirendi de conditione religiosarum quae in ecclesia publica accesserint ad confessarium, ideo suppliciter (orator) adit Eminentiam Vestram, quatenus dubium sequens solvere dignetur: Utrum Titius, in casu valide absolverit praedictam religiosam, an caruerit requisita iurisdictione?

Quod si invalide absolverit, quomodo se in posterum gerere debeat si inter poenitentes animadverterit monialem; id est, qua cura interrogare debeat de adiunctis in quibus versetur accedens *Soror?*

S. Poenitentiaria ad praemissa respondet: *Ratione habita prioris statuti, Titium valide absolvisse: quoad interrogationes vero faciendas,*

nisi prudens suspicio suboriatur quod poenitens illicite apud ipsum confiteatur, posse confessarium a supradictis interrogationibus abstinere.

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 7.ª februarii 1901.

S. Congregatio Suprema S. Ufficii.

Fer. IV, die 15 Maii 1901.

In Congregatione Generali Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales in rebus Fidei et morum Inquisitores Generales sequens tulere Decretum: Uti pluries a Summis Pontificibus sancitum est, in rebus ad S. Officium spectantibus nullo modo ad Superiores Regulares pertinere subditorum suorum causas agnoscere, nulloque proinde titulo aut praetextu posse vel debere, nisi de expresso S. Congregationis mandato de his inquirere, denunciationes recipere, testes interrogare, reos excutere, iudicium instituere, sententiam ferre aut alia quavis ratione vel modo in eis sese immiscere vel manus apponere: sed quos Religiosi Viri ex suis subditis vel confratribus vel etiam superioribus huiusmodi criminum (praesertim quod ad abusum Sacramentalis Confessionis spectat), reos vel suspectos noverit, strictim teneri, absque ulla cum aliis quibuscumque communicatione, nulla petita venia, nullaque fraterna correptione aut monitione praemissa, eos S. Officio aut locorum Ordinariis incunctanter denuntiare. Ne vero sanctissimae hae leges ex ignorantia vel malitia (quod Deus avertat) negligi aut infringi contingat, Superioribus grave onus incumbere eas, quo opportuniori putaverint modo, ad subditorum suorum certam et distinctam identidem deferre notitiam earumque ab eis plenam observantiam urgere.

Quae omnia Leo Sanctissimus Dominus Noster, Divina Providentia Papa XIII, in audientia R. P. D. Commissario Generali die 17 eiusdem mensis et anni impertita, benigne approbare et confirmare dignatus est.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

S. Congregatio de Propaganda Fide.

Ill.me ac R.me Domine,

Quamvis probe sciat haec S. Congregatio de Propaganda Fide, ingentem provenire missionibus utilitatem ex ministerio Regularium; ita ut maxime in votis sit videre eorum domus ubique institui: curandum tamen est ut res ordinate et ad praestitutae disciplinae normam peragantur. Quamobrem duxit S. Congregatio per praesentes litteras in memoriam Ordinariorum locorum a se dependentium revocare sententiam, quam ut communem hodie et cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, tradit Constitutio SS.mi D. N. Leonis XIII, quae incipit " Romanos Pontifices! " nempe: non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri. Cui legi cum aut semper aut ubique obtemperatum non fuisse videatur, ideo eius observantiam voluit S. Congregatio per praesentes urgere. Diligenter ergo in posterum abstineant Ordinarii omnes Sacrae Congregationi subiecti a licentia danda religiosis Institutis domum aperiendi in territorio propriae iurisdictionis, absque venia prius a praefata S. Congregatione obtenta. Quod vero attinet ad domus religiosas huc usque in iisdem territoriis, S. Congregatione inconsulta, forte erectas, etsi haec, Ordinariis flagitantibus, singulisque ponderatis casibus, propensa omnino sit ad legitimas habendas huiusmodi fundationes: tamen mandat ut de praedictis, si quae existant domibus, distinctus ab Ordinariis exhibeatur elenchus, ac simul pro iisdem canonica ratihabitio per supplicem libellum petatur.

Interim Deum precor ut Te diu sospitet.

Datum Romae ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide die 7 Decembris 1901.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus Servus

M. Card. LEDÓCHOWSKI, *Praef.*

Aloysius Veccia, *Secret.*

S. Congregatio Indulgentiarum

I.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

A nulla quidem re Christiano homini datur potius capere auspicium posse, quam a Sanctissimo Nomine Iesu, quod est *super omne nomen* et in quo *omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur*. Non latuerat id certe veteres Christianos, qui omnium rerum gerendarum initium ab illo ducere solebant, ut scilicet sibi rebusque suis, quem optabant, exitus contingeret. Nostris etiam temporibus Ecclesiae luctuosis sancta haec et laudabilis consuetudo deleta omnino non est: nonnulli enim Christiani populi initium novi anni a Nomine Iesu faciunt. Illique integrum mensem Januarium, quo mense aguntur solemnia Iesu Nomini recolendo, Deo quasi anni primitias offerentes, solent consecrare. Nos idcirco, qui de bono atque utilitate animorum, quorum Nobis est divinitus commissa salus, solliciti damus operam, ut boni mores in Christianas civitates invehantur, pravi et corrupti prohibeantur, vehementer cupimus atque optamus, ut prisca illa consuetudo inter familias christianas revirescat et floreat. Id enim apprime respondet et consentaneum est orationi dominicae in qua pie sancteque obsecramus Deum quotidie ut, sanctificetur nomen Suum; neque res atque actus nostri tristes habebunt exitus, si eos in nomine Iesu exordiamur. Quamobrem vestigiis insistentes decessoris Nostri Pii Papae Noni rec. mem. qui Ecclesiae Neapolitanae sanctum illum antiquorum christianorum usum retinenti de caelesti thesauro divitias est largitus, rogante Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, omnibus et singulis Christifidelibus, qui speciale aliquod obsequium SS.mo Nomini Iesu quolibet die mensis Ianuarii devote exhibuerint tercentos dies, si id in Ecclesia vel publico Oratorio praestiterint, si vero privatim centum tantum dies de numero poenalium in forma Ecclesiae solita expungimus.

Iisdem vero Christifidelibus qui praefato pio exercitio publico, idest in aliqua Ecclesia vel publico Oratorio quotidie adstiterint, et postremo die quo idem pium exercitium explebitur, vere poenitentes et confessi ad Sacram Synaxim accesserint et pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione preces ad Deum effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes etiam animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentes nullae sint, si earum exemplar S. Cong.ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae non exibeatur: utque praesentium exemplis seu transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis eadem prorsus adhibeatur fides quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris XXI Decembris MDCCCCI.

Pontificatus Nostri anno vigesimoquarto.

Pro D.no Card. MACCHI

N. MARINI *Subst.*

Praesentium Litterarum Apostolicarum exemplar exhibitum fuit huic S. Cong.ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Cong.nis, die 4 Martii 1902.

Pro R. P. D. FRANCISCO Archiep. Amiden. *Secret.*

S ✠ S. JOSEPHUS M. CANCUS COSELLI, *Subst.*

II.

LEO PP. XIII.

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ad augendam fidelium religionem animarumque salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui Scalam ducentem ad collem, ubi Stationes Viae crucis erectae sunt, prope Sanctuarium Lupurdense B. Mariae Virg. Immaculatae in Dioecesi Tarbien, quatuor anni diebus ad cuiusque arbitrium sibi eligendis, flexis genibus devote ascenderint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce die id egerint, ut eas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si Scalam Sanctam de Urbe personaliter et devote flexis genibus ascenderent, Apostolica Auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus ad septennium tantum valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX Ianuarii MCMII, Pontificatus Nostri Anno vigesimoquarto.

Pro D. Card. MACCHI

L. † S. N. Marini, *Subst.*

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myren., Vicesgerens

PROPRIETAS LITERARIA.

Roma. 1902. - E schola typographica vulgo "Tata Giovanni „*Piazza dei Biscioni*, 95